DE VERSUUM IAMBICORUM

IN MELICIS PARTIBUS

USU AESCHYLEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ARTHURUS PREUSS

LIPSIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS HESSEI ET BECKERI.

MDCCCXCVI.

Hoc autem praemittam, dissertationem mense Maio huius anni confectam et a facultate philosophica universitatis Lipsiensis probatam esse, quare opusculorum vel dissertationum, quae inde ab hoc spatio prodierunt, rationem non esse habendam censui.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Caput I.

Versus singuli in ordinem redacti tractantur.

I. A. Jambus solus.

Invenitur iambus solus tum, cum interiectionis vice fungitur, non alias, ut

a) dochmiacis immixtus occurrit:

Sept. 95[1]): *ἰώ | μάκαρες εὔεδροι*, ubi rectam mensuram adhibent Rossbachius[2]), Christius[3]), Dindorfius[4]), cum Bernhardi[5]) iambicos syncopatos esse contendat ◡ ⊔ ◡́ ◡ ◡ – ◡ –. Sed iambum dochmiaco praemissum esse (ut Eur. Phoen. 108: *ἰώ | πότνια παῖ Λατοῦς*) vel ex eo apparet, quod aliis locis dipodiae vel tripodiae iambicae dochmiis antecedere solent[6]) et pausa, quae post *ἰώ* facta est, magis ad interiectionem quadrat, quam si versus uno tenore continuaretur.

b) inter trochaeos iambum habemus:

Pers. 116: *ὀᾶ* – 122 *ὀᾶ*. Haec interiectio non cum sequentibus coniungenda erat, ut Schillerus fecit, quo pentapodia iambica nasceretur: *ὀᾶ, Περσικοῦ στρατεύματος.* ◡ ⊔ – ◡ – ◡ – ◡ ⏓, nam versus, qui in stropha certe praevalent, trochaici sunt, in quos iambus ille quasi fulmen subito immittitur. Sane difficile est nobis, quippe qui nostris carminibus assueti simus, trochaicos Graecos a iambis seiungere, cum, simulatque in uno carmine utrumque genus alterum post alterum sequitur, nos pergamus legere nihil curantes sintne iambi an trochaei.[7])

---

1) in versibus laudandis usus sum editione Kirchhoffiana (Berol. 1880). — 2) Metr. pag. 775 (id est specielle griech. Metr. 1889). — 3) Metr. 1874 pag. 473. — 4) edit. Teubn. 1873, praef. pag. XLII. — 5) de tones in med. sync. usu Aesch. pag. 9/10. — 6) cf. II A. — 7) Ut exemplum ex multitudine eligamus: si perlegimus carmen, quod vocatur „Tristan und Isolde" compositum a Godofredo Argentoratensi v. 10163: „dâ ist diu wunneclîche Îsôt | iemer an den êren tôt" vel in Wolframii „Parzival" v. 245: „Parzivâl niht eine lac | gesellecliche unz an den tac", habemus primo loco primum rhythmum ascendentem: x –́ x –́ x –́ x –́, tum autem descendentem: –́ x –́ x –́ x –́, loco altero contrarium accidit. Sed variatio metrorum nostras aures non ferit.

Quare hac in re cavendum est, ne auribus nostris nimiam fidem habeamus. Apud veteres enim trochaicum et iambicum rhythmum non ad libidinem permixtos esse, loci quidam apud veteres scriptores indicant, quos Pickelius[1]) commemoravit, ut apud Aristidem (pag. 56, 7 Westph.) utrumque genus seiungitur: *ἐν δὲ τῷ ἰαμβικῷ γένει ἁπλοῖ μὲν πίπτουσιν οἵδε ῥυθμοί· ἴαμβος ἐξ ἡμισείας ἄρσεως καὶ διπλασίου θέσεως, τροχαῖος δὲ ἐκ διπλασίου θέσεως καὶ βραχείας ἄρσεως;* item apud Baccheum (*εἰσαγ. τεχν. μουσ.* pag. 67,29 Westph.) *ἴαμβος . . . . σύγκειται δὲ ἐκ βραχέος καὶ μακροῦ χρόνου, ἄρχεται δὲ ἀπὸ ἄρσεως . . . . χορεῖος· συνέστηκε δὲ ἐκ μακροῦ χρόνου καὶ βραχέος χρόνου· ἄρχεται δὲ ἀπὸ θέσεως.* Videmus igitur iambos non esse trochaeos anacrusi praeditos, ut Weckl. — Zomarides[2]) fecerunt et Christius.[3]) [4]) — Sed redeamus ad versum nostrum. Non necessarium videtur, cum Weilio *ὀᾶ* duplicare et cum sequentibus coniungere[5]), neque cum Dindorfio *ὀᾶ ὀᾶ* (diiambus) scribere[6]), nam illud *ᾱ* tamdiu producere licet, quamdiu libet, neque altera interiectione opus est. — Denique incredibilis mihi videtur Rossbachii[7]) sententia, *ὀά* esse spondeum ac cum sequentibus coniungendum: – – – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓, ut versus trochaicus exsisteret. Immo, ut initio dixi, iambus, qui in medios trochaeos inicitur, ad sententiam totius strophae optime quadrat. Cum chorus cladis, quam exercitus Persarum accipere potest, mentionem facit, rhythmum non constanter procedere, sed subito alio genere interiecto variari oportebat.

c) post pherecrateum iambus occurrit:

Pers. 568: *ἀκτὰς ἀμφὶ Κυχρείας | ὀᾶ* ~ **576:** *παίδων τᾶς ἀμιάντου | ὀᾶ.*

d) anteit dipodia iambica.

Pers. 571, ubi item ac locis modo laudatis monopodia iambica statuenda est, quod recte fecerunt Hermannus et Schillerus, cum sententiae Dindorfii[8]) Weilii[9]) Rossbachii[10]), qui omnes *ὀᾶ ὀᾶ* legunt, repudiandae sint.

e) inter trimetros iambicos.

Ag. 1261: *φεῦ φεῦ* et **Choeph. 1044** *ἆ ἆ.*

Vidimus igitur has monopodias iambicas solas interiectiones esse, qua re commotus in his iambis non habeam Sept. 88.

---

1) diss. Argent. III, pag. 149. — 2) in editione 1891 (in *μετρικῇ συνόψει*). — 3) Metr. 1879, pag. 313. — 4) conferas de hac re Brambachium in „metr. Studien zu Sophocles", pag. 36, qui anacrusin illam in veterum versibus repudiat. — 5) id quod eo consilio fecisse videtur, ut trimeter iambicus, ut infra V. 130 in trochaicos insereretur. — 6) cf. lex. Aeschyl. pag. 236 „ego duplicavi aliarum huiusce modi exclamationum exempla secutus." — 7) Metr. pag. 200. — 8) Philol. XIII, pag. 477, de qua accuratius dixi pag. 8. — 9) edit. Teubn. 1891. — 10) Metr. pag. 679.

I. B. Diiambus solus.

a) interiectiones solae.

Pers. 665[1]), **Suppl. 834 ∾ 843. Pers. 1038. Ag. 25.**

Ag. 1168: *ἰοὺ ἰού.* Optimo iure Weilius ex librorum *ἰοὺ ἰοὶ ὢ ὢ κακά* verba extrema in lacunam versus 1170 transposuit, quare hic diiambus efficitur, qui saepius trimetris iambicis praemittitur.[2])

Ch. 874.

Sept. 135: *ἐὴ ἐή.* diiambum qui quasi proodi locum obtinet[3]), restituit Dindorfius.[4])

Respondet v. **143**, ubi item *ἐὴ ἐή* desideratur.

Sept. 943: *ἐὴ ἐή*, quod idem Dindorfius pro tradito *ἠὲ ἠέ* scripsit. Etsi dubitari potest, quaenam forma propius ad verisimilitudinem accedat (*ἐή* an *ἠέ*), tamen initio huius strophae iambos trochaeis praeferam. Sane occurrit etiam alibi *ἠέ*, ut Suppl. 800, quamquam ibi textus ita depravatus est, ut nihil certi possit statui, et Pers. 567, sed ibi sub finem versus logaoedici illud *ἠέ* magis ad numeros descendentes, qui praecesserunt, se applicat, ut suspicionem nullam moveat: ‒ ⏑ ‒ ⏑ ⏑ ‒ ⏑ | *ἠέ*. Hic autem eodem modo ac 135 optime iambi stropham exordiuntur et praeludii munere funguntur. Antistrophicus versus est V. **958:** *ἐὴ ἐή.*

Suppl. 106: *ἰὴ ἰή.* Non cum plerisque editoribus hic unum versum verbis sequentibus adiunctis accipiam: *ἰὴ ἰή, ἰηλέμοισιν ἐμπρεπῆ*, sed primum dipodiam iambicam, tum dimetrum iambicum, ut Christio[5]) visum est, qui alia exempla huius formae attulit, nam similiter, ac Sept. 135 hic quoque diiambus quasi praeludii munere, si non initio strophae, at tamen ante sequentem versum fungi videtur, quare interiectio, post quam pausa aptissima est, magis super cetera eminet, quam si sequentia verba statim atque uno tenore sequerentur. ∾ **114:** *ἰὼ ἰώ.*

Fortasse huc etiam pertinet: **Suppl. 819** *ἰοὺ ἰού*, quod certe cum Hermanno ex *ἰὼ ἰόν* corrigendum est (an rectius Robortelli: *ἰὼ ἰώ?*), quamquam in hac corruptissima ac desperata parte satis cavendum est, ne nimium restituisse nobis videamur. Fueritne versus antistrophicus **881:** *βίᾳ βίᾳ* (diiambus) in dubio relinquam.

Prom. 560: *ἆ ἆ ἒ ἒ*, si modo haec interiectio recte se habet, nec potius dochmius magis arridet: *ἆ ἆ, ἔα ἔα* ‒ ⏑́ ⏑ ‒ ⏑ ‒.

Diiambi soluti inveniuntur:

Pers. 1014 ∾ 1022. Suppl. 856: *ὀτοτο τοτοῖ* ∾ **866.** Non Weilium sequar, qui una syllaba *το* deleta trochaeos accepit: *ὀτοτοτοῖ*, nam necessarium non fuit.

---

1) eos solum versus exscripsi, quibus memoratu aliquid dignum occurrit; alios laudasse tantum sat erit. — 2) ut V. 1269: *ἰὼ ξένοι*, Ch. 874: *ἰοὺ ἰού;* Soph. in Aiace 718: *ἰοὺ ἰού.* — 3) cf. Christium Metr. pag. 443, qui de hiatu *ἐή ὄτοβον* verba fecit. — 4) praef. ad Aesch. ed. Teubn. 1873, pag. LIII. — 5) Metr. pag. 345.

b) interiectiones cum aliis verbis coniunctae.

Ag. 1269: *ἰὼ ξένοι*, quod eodem modo trimetris praemittitur Soph. Phil. 219.

Suppl. 852: *οἰοῖ, πάτερ*, qui versus fortasse initium strophae fuit, ut quasi praeludium animos audientium ad sequentia praepararet. (ut Sept. 135, Suppl. 106). ∾ **862:** *μαιμᾷ πέλας*.

c) diiambi, qui constant ex aliis verbis, quae omnia commotionem animi indicant.

Pers. 992: *ὁρῶ ὁρῶ*, ubi in hiatu offendendum non est.[1]) ∾ **1002:** *παπαῖ, παπαῖ*.

Pers. 1026 ∾ **1032.**

Prom. 563: *ἄλευ', ἆ δᾶ*. Hanc veram esse lectionem Weilii et Ahrensii[2]) vestigia secutus existimaverim, ut diiambus oriatur, neque vero cum Hermanno verba *εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς, ἄλευε δᾶ* et Weckleinio: *εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς, ἄλευ' ἆ δᾶ* in iambicum trimetrum redigam, nec Dindorfii rationem probem, qui scripsit: *εἴδ. Ἄρ. γηγ. ἄλευ, δᾶ* itaque tres trimetros syncopatos se excipere voluit, qua in re fautorem invenit Heimsoethium.[3]) Neque etiam coniecturis opus est. Scilicet Medicei *φοβοῦμαι* post *δᾶ* expungendum est, quod omnes praeter Blomfieldium fecerunt; tum diiambus exsistit, qui in his verbis turbulentis ac concitatis optimo iure locum obtinet, nam tres versus, qui plane pares (ut Dindorfius voluit) aut similes (ut Hermanno et Weilio visum est) sint, languidos esse crediderim, immo in oratione hominis furore exagitati subito commutationem in versuum formis fieri conducit.

Pers. 571: *οὐράνι' ἄχη*. Rectissimam viam ingressi sunt Hermannus et Schillerus, qui illud *δᾶ*, ut iam pag. 6 vidimus, a versu separaverunt, cum Weilius[4]) et Rossbachius[5]) interiectionem duplicatam ad versum adderent, ut dimeter iambicus oreretur.[6]) Weckleinius autem mirum in modum verba sic diduxit: *οὐ | ράνι' ἄχη, δᾶ*. At causam, cur *δᾶ* repetatur, non video, nam ad ea, quae stropha continet, interiectiones post versus singulos intercalatae optime morsus acres doloris depingunt neque intellego, quomodo Dindorfius hac in re haerere possit.

_ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ | _ | *τοὶ δ' ἄρα πρωτόμοροι*, _ *φεῦ* _
_ ⏑̄ _ ⏑ ⏑ _ ⏑ | _ ⏑ | *λειφθέντες πρὸς ἀνάγκαν* _ *ἠέ* _
_ ⏑̄ _ ⏑ ⏑ _ ⏑̄ | ⏑ _ | *ἀκτὰς ἀμφὶ Κυχρείας* _ *δᾶ* _
tum: _ ⏑́ ⏑ ⏑ _ | ⏑ _ *οὐράνι' ἄχη* _ *δᾶ* _

1) cf. Christium, Metr. pag. 40. — 2) in Philol. XXIII, pag. 206, adn. 19; cf. „Kleine Schriften", pag. 419, 19. — 3) Wiederherstellung der Dramen des Äschylus pag. 330. — 4) edit. Teubn. 1891. 5) Metr. pag. 679. — 6) cf. Dindorfium in Philol. XIII, pag. 477; aeschyl. Chorges. pag. 23: „ferner ist nicht einzusehen, warum in dem Verse drei Jamben statt eines kräftigen vollen Dimeters gesetzt sind."

Imprimis variationem rhythmorum observemus, quae tam opportuna est, ut „plenus ille dimeter“, quem Dindorfius desiderat, contra poetae sententiam facere videatur. Plane autem respuenda est ratio eorum, qui syllabas *οὐ* et *ῥάνι'* divellerunt. Dactylus enim primo pede sine dubio servandus est, quippe quo dolor, qui usque ad caelum pertinet, exprimatur, nam dactylus motum, qui sursum fit, significat, qui per gestum fortasse spectatoribus accuratius ante oculos demonstratus est.

II. Diiambus coniungitur cum aliis versibus.

A. cum dochmiacis.

a) dochmius sequitur.

Eum. 172: *παλαιγενεῖς | δὲ Μοίρας φθίσας*, quam mensuram cum Dindorfio[1]) et Rossbachio[2]) accipiam, non cum S. Reitero[3]) dochmium syncopatum, cuius forma ⏑ ⏗ ⏑ –, quod quidem viderim, usitata non fuit. Exempla, quae sequuntur, hunc diiambum + dochmium probabunt, praesertim cum iambici dochmiacis quodam modo similes sint eosque partim diiambi, partim tripodiae, partim dimetri praecedant.[4]) ∾ **176:** *μιάστορ' εἶ | σιν, οὖ πάσεται* (sic Kirchhoffius pro Medicei *ἐκείνου*).

Ag. 1054: *ἰὼ πόποι | τί ποτε μήδεται.* Hic quoque diiambum ante dochmium tuear, etsi Blomfieldius duplicato *ἰώ* dimetrum dochmiacum inducere studuit. Ceterum diiambum etiam Seidlerus[5]) retinuit, qui aliis locis saepissime ad dochmios statuendos pronus est. ∾ **1061:** *ἰὼ τάλαι | να, τόδε γὰρ τελεῖς.*

Ag. 1071: *φόνου. στάσις | δ' ἀκόρετος γένει* ∾ **1082:** *τύπτει. πίτνει | δ' ἐν* (addidit Schuetzius) *ἐνύδρῳ τεύχει.* Hermannus „metri indicio inductus“ scribit *θενεῖ;* sed causam frustra quaerimus, cum accurata responsio in tali carmine necessaria non sit.

Suppl. 334: *παλαίχθονος | τέκος, κλῦθί μου.* Exempla, quae modo attulimus atque afferemus, sententias H. Schmidtii[6]), Dindorfii[7]), Reiteri[8]) refutant. ∾ **345** *ἴδοιτο δῆτ' ἄνατον φυγάν.*

Suppl. 355 ∾ **366.** **Suppl. 704** ∾ **711.**

Quae exempla omnia Rossbachium effugisse videntur, qui in

---

1) in metris 1842, pag. 53. — 2) Metr. pag. 775. — 3) de syllab. in trisem. longit. product. usu Aesch. et Soph. pag. 182. — 4) de qua re conferas Christium Metr. pag. 443, Seidlerum, de vers. dochm. pag. 117. Ceterum similiter Soph. Electr. 1253 *ὁ πᾶς ἐμοί | ὁ πᾶς ἂν πρέποι.* — 5) l. l. pag. 117. — 6) qui in „Kunstformen d. griech. Poesie“ I, pag. 285 mirum in modum paeona anacrusi praeditum accepit: ⏑: – ⏑ –. — 7) qui in Metr. pag. 65 solos dochmios statuit. — 8) qui hic et ubique de dochmio syncopato cogitavit; cf. l. l. pag. 182.

Metr. pag. 781 dicit: „in den Hiketides sind Dochmien mit Jamben nicht gebraucht."

b) dochmius anteit.

Ch. 153: ἰὼ τίς δορυσ | θενὴς ἀνήρ. Sic versum legunt Weckleinius (in Orestia) Kirchhoffius aliique illud alterum βέλη V. 155 cum Heimsoethio delentes, ut versus legibus metricis obtemperantes sine ulla difficultate currant. 152 tripodia iambica soluta: ὀτοτο τοτοτο τοτοῖ, tum dochmius + diiambus ⏑ _ _ ⏑ _ | ⏑ _ ⏑ _, tum dochmii usque ad finem sequuntur: ἀναλυτὴρ δόμων | Σκυθικά τ' ἐν χεροῖν | παλίντον' ἐν ἔργῳ | 'πιπάλλων Ἄρης | σχέδιά τ' αὐτόκω | πα νωμῶν βέλη. Plane respuenda est responsio, quam Hermannus, ut aliis locis, hic detexisse sibi visus est, nam nisi per vim stropha et antistropha effici non possunt. Praeterea haud sequar partes Rossbachii[1]), qui versus sic distribuit: ὀτοτ...... ἰὼ τίς... ἀνήρ (tetram. iamb. sync.) tum ἀναλ. δομ. Σκ. τ' ἐν χερ. παλίντονα (dim. dochm. + diiamb.) tum ἐν ἔργῳ βέλη etc., nam hiatus παλίντονα ἐν, etsi non plane contra usum facit, tamen vitandus est, quoad eius fieri potest, cum haud elegans videatur et rarissime occurrat; imprimis hic, ubi ultima syllaba per ictum altius effertur, hiatus magis ad aures pervenit, quam si ultima syllaba ictu careret.

Eum. 156: ἔτυψεν δίκαν | διφρηλάτου. Dindorfius[2]) iambicis solis locum tribuit, sed in hoc carmine, quod ex dochmiis et iambis compositum est, nostram mensuram accipere praestabit. Mira ratione H. Schmidtius[3]) hunc versum ceterosque descripsit, qui ad hunc versum haec apposuit signa: ⏑ _ ⏑̄ | ⏑̄ | _ ⏑ _ ⊔, de qua ratione non fusius disseram, cum unusquisque videat, de baccheis, trochaeis, paeonibus hic minime cogitandum esse. ∾ **163** κρατοῦντες τὸ πᾶν | δίκας πέρα; sic Heimsoethius[4]), M: πλέον.

B. Diiambi coniuncti cum dactylis.

Horum versuum formam, quippe quae maxime ad ingenium artis Aeschyleae spectet, Euripides in ranis Aristophanis (inde a V. 1264) deludit. Fere omnes versus ex fabulis deperditis sumpti sunt.

ex **Myrmidonibus** (frgm. 132 apud Nauckium) = Ar. Ran. 1264: Φθιῶτ' Ἀχιλλ | εὖ τί ποτ' ἀνδροδάϊκτον ἀκούων.

ex **Telepho** (Frgm. 238): κύδιστ' Ἀχαι | ῶν Ἀτρέως πολυκοίρανε μάνθανέ μου, παῖ = Ar. Ran. 1270.

Ran. 1291: κυρεῖν παρα | σχὼν ἰταμαῖς κυσὶν ἀεροφοίτοις, de cuius versus origine nihil certi liquet.

Ag. 108: ὅπως Ἀχαι | ῶν δίθρονον κράτος Ἑλλάδος ἥβας, quem versum Dindorfius[5]) penthemimerem iambicam coniunctam cum paroemiaco putat: ⏑ _ ⏑ _ ⏑̄ | ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ _ confertque Soph.

1) Metr. pag. 782. — 2) Metr. pag. 53. — 3) Kunstf. I, pag. 249. — 4) Wiederherst. pag. 103. — 5) Metr. pag. 33.

Oed. Tyr. 175: ἄλλον δ' ἂν ἄλλῳ προσίδοις ἅπερ εὔπτερον ὄρνιν. Sed hoc ipso metrorum antecedentium et sequentium conexu non anapaesticos rhythmos, sed dactylicos potius accipiam et versum tetrapodiam dactylicam praemissa basi iambica esse crediderim: ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –.[1]) Recte igitur Bernhardi[2]) disputavit: non licere nobis tripodicum colon ⏑ – ⏑ – – a sequente ordine distinguere. ∾ 122: χρόνῳ μὲν ἀγ | ρεῖ Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος.

Ag. 118: φανέντες ἴκ | ταρ μελάθρων χερὸς ἐκ δοριπάλτου ∾ 127: στρατωθέν· οἴ | κῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνά. — Neque hoc silentio praetermittendum est, diiambum in eius modi versibus medio in verbo quodam finiri, quod poeta, ut Christius[3]) annotat, eo consilio fecit, ut diiambicum praeludium artius cum sequentibus conecteret.

C. Diiambi coniuncti cum choriambo.

Ch. 48: δνόφοι καλύπ | τουσι δόμους ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ –. Wilamowitzius in indice lect. Gott. 1895, pag. 15, quo commentariolo ostendit, pro diiambo per anaclasin choriambum admitti posse[4]), hoc loco anaclomenon illum a pherecrateo (δεσποτῶν θανάτοισι) tamquam clausula excipi censet.[5]) Sed choriambus post diiambum positus

1) de quo versu Brambachius in „rhythm. und metrische Untersuchungen" inde a pag. 50 accuratius disseruit, qui ad eundem finem pervenit. — 2) l. l. pag. 14. — 3) Metr. pag. 238 (i. e. anni 1874): „Wortschluss nach der einleitenden iambischen Dipodie hat der Dichter in Strophe und Antistrophe wohl deshalb gemieden, um das iambische Vorspiel mit dem Hauptteil der Periode enger zu verknüpfen." — 4) quod ante eum iam Luthmerus (diss. Argentor. VIII, pag. 12 sqq.) demonstrare conatus est. — 5) sed rem ita turbat, ut hunc versum – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑̄ modo pro diiambo ducat, modo, ut hoc loco, pro pherecrateo, quorum genus ad hunc diem nemo confundere ausus est. Dicit: „nam nunc quidem pherecrateum esse concedere malo, sicut videtur, ne demonstrationis cursum turbem; aliquando fortasse vel hic ad iambos revocabitur." Huic rationi, de qua iam hic dicendum puto, assentiri me non posse profiteor, nam, ut exempla docebunt, pherecrateorum ingenium non comprehenditur, ubi quasi iambici tractantur. Interest enim multum inter rhythmum ascendentem iambicorum et descendentem pherecrateorum, de qua re accuratius capite III egi et in exemplis ipsis tractandis breviter disputavi. Pherecratei enim et in universum logaoedici in fine strophae eo consilio adhibiti sunt, ut per eos πάθος iambicorum minueretur, et motus incitati sedarentur, aut, ut interdum fieri solet, augerentur. Detraheres multum arti Aeschyleae, si fingeres, poetam sine ulla variatione semper eundem numerum usurpasse, immo per pherecrateos, quibus rhythmus descendit, stropha variatur et sententiae, quae cum numeris conspirant, bene illustrantur. — Bene de clausulis logaoedicis, non iambicis, dixerunt Rossbachius (Metr. pag. 263, pag. 690), Christius (Metr. pag. 359, pag. 610, pag. 381).

vim rhythmi auget, nam hoc munere choriambus fungitur[1]), donec versu sequente rhythmus descendit et aures in logaoedicum numerum traducit. Neque alii scaenici ab hoc versu abhorrent cf. Soph. Ant. 781: *ἔρως, ἀνίκατε μάχαν,* Eurip. Herc. Fur. 756: *μεταλλαγαὶ γὰρ διακρίων, μεταλλαγαὶ ξυντυχίας.* Arist. Vesp. 1450: *ζηλῶ γε τῆς εὐτυχίας κτλ.* Cf. de hac re Rossbachium in Metr. pag. 700, Christium in Metr. 1874, pag. 500[2]), praeterea Heimsoethium in „Wiederh.“ pag. 328. Non cum Conradtio[3]) verba *δνόφοι* usque ad *θανάτοισιν* in unum versum coniunxerim, nam causam, cur sollemnis distributio evertatur, ego non video frustraque in Conradtii commentariolo quaesivi.[4]) Immo hoc fieri solet, ut stropha iambica pherecrateo claudatur, non tam longa serie ut viro docto visum est. — ∾ 58: *μένει χρονίζοντας ἄχη* sic Dindorfius pro Medicei *μένει χρονίξοντ' ἄχη βρύει.*

Suppl. 507 ∾ 514.

D. Diiambi cum logaoedicis coniuncti.

Quinque formas statuendas censeo.

a) ◡ – ◡ – | – ◡ ◡ $\underline{\smile\smile}$ ◡ –

diiambus + logaoedicus, qui constat ex dactylo et dipodia trochaica catalectica, cuius prior pes solutus est.

Pers. 1046: *ἰὴ ἰὴ | βάρισιν ὀλόμενοι.* Diversis modis hic mutatum est, haud iure, ut credo, excepto tradito *ἤ ἤ ἤ ἤ.* Weilius, ut pares versus sub finem efficeret, scripsit: *ἰὴ ἰή, τρισκάλμοισι βάρισιν φθιτοὶ* (tetram. iamb. sync. ◡ – ◡ ⌴ ⌴ ⌴ – ◡ – ◡ – ◡ –), Blomfieldius dochmiis maiorem auctoritatem attribuit: *βάρισιν ὀλόμενοι*: – ◡́◡ ◡́◡ ◡ –, et tum: *πέμψω τοί σε δυσθρόοισιν γόοις* ◡̄ – – ◡ – | ◡ – – ◡ –. Sed dochmiis hic locum non esse Rossbachius[5]) ostendit[6]), cum fabula longioribus carminibus dochmiacis careat, et omnino unum tantum dochmium exhibeat (V. 266). Ego quidem diiambum logaoedico auctum maxime hic desiderari autumo, nam variatio rhythmorum in fine huius tragoediae aptissima est. Scilicet Hermanni responsionem, quam per vim perficere studuit, plane respuo, nam certe poeta de industria hoc efficere voluit, ut, postquam Persae patriae ruinam satis conquesti sunt, versu 1037 severus ordo liberiori compositioni cederet,

---

1) cf. Christium in Metr. pag. 462: „so passte der choriamb. Rhythmus vorzüglich zu den ungestümen Bewegungen der in rasender Verzückung bald hierhin, bald dorthin gerissenen Bacchantinnen.“ — 2) ubi sententia O. Meissneri, quam de mensura diiambi habuit (cf. Philol. X, pagg. 1—24) refutatur. — 3) „Neue Jahrb. f. Philol. u. Päd.“ 1895, pag. 301. — 4) dicit „dagegen müssen nach durchgehender Regel — quaenam est illa regula? — die beiden äolischen Kola am Schlusse vereinigt werden.“ — 5) Metr. pag. 779. — 6) cf. Christium in Metr. pag. 456.

qua parte dolor ita crevit, ut non iam more solito stropha et antistropha se exciperent, sed singuli versus summam desperationem exprimerent.[1]

b) ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
diiambus | pherecrateus primus.

Pers. 990 *τί δ' οὐκ; ὄλω | λεν μεγάλως τὰ Περσᾶν.* (sic Hermannus, traditum: *μεγάλατε.* Applicem me in huius versus metro definiendo ad Rossbachii iudicium[2]), qui idem diiambum pherecrateo auctum statuit, non sequar hac in re Dindorfium[3]), qui diiambum excipi a choriambo et baccheo putat: ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | ⏑ – –. Choriambus enim[4]) minime hic exspectatur, nam continuum per se est, hic autem verba — *λεν μεγάλως τὰ Περσᾶν* uno tenore decurrunt, quae non choriambo interiecto: | *λεν μεγάλως* | ac sequente baccheo in duas partes dirimenda erant. Nec placet mensura Hermanni, qui versum esse antispastum ⏑ – ⏑ – – | ⏑ ⏑ – ⏑ – – | credit[5]), qui versus iam diu a metricis illustrissimis, ut Westphalio et Rossbachio[6]), quasi commentum metricorum veterum iure abiectus est. ∾ **1000.**

Agam. 133: *δρόσοις ἀέπ | τοις μαλερῶν λεόντων.* sic Hermannus pro tradito *δρόσοισιν ἀέλπτοις μ. λ.*, recte, nam facile inducimur, ut hunc quoque versum diiambum + pherecrateum esse concedamus[7]), cum tales versus, qui diiambo incipiunt et rhythmo descendente finiuntur, nobis ex antecedentibus strophis haud ignoti sint. Itaque non cum Schmidtio[8]) *δρόσοισιν ἀέπτοις* scribam nec Dindorfii castra sequar, qui contra nostrum metrum dixit in „Jahrb. f. Phil.“ 1863, pag. 73, ubi haud iure Triclinium vituperavit, qui hoc metrum defenderat.

Ag. 138: *ἰήιον | δὴ καλέω Παιᾶνα. M: ἰήιον δέ; δὴ* Ahrensius, *δ' ἀγκαλέω* Gilbertus. Repudianda Schmidtii[9]) sententia videtur, qui tradita fovet mirisque signis versum notavit.

Suppl. 112 ∾ **121. Suppl. 511** ∾ **518.**

Suppl. 748: *κόνις ἄτερ | θε πτερύγων ὀροίμαν* (sic Dindorfius recte pro *ὀλοίμαν*). Monendum est, in *κόνῑς* alteram syllabam produci, ut ex accusativo concludi potest: cf. Prom. 1085: *στρόμβοι δὲ κόνῑν εἱλίσσουσιν.* **Suppl. 170:** *ὁρῶ κόνῑν ἄναυδον,* quare Pauwii coniectura *κόνις γ'* supervacanea fuit. ∾ **755.**

1) optime Westphalius („Prolegg. zu den aeschyl. Tragoedien“ pag. 127/28) hoc epodicum“ einen Operneffekt“ nominat, quo musica priores partes egerit, poetica autem facultas magis recesserit. — 2) Metr. pag. 680. — 3) de metr. scaen. pag. 41 nr. 16; Metr. pag. 32. — 4) de cuius natura fusius disputabit Johannes Lamer. — 5) in elementis pag. 233 et in „Zeitschrift f. Altertumswissensch. 1835, pag. 386. — 6) cf. griech. Metr. 1856 praef. pag. XIX sqq. — 7) non diiambum + tripodiam dactylicam, quam Ahrensius commendavit scribens: *λειόντων.* — 8) Kunstf. I, pag. 148. — 9) Kunstf. I, pag. 148.

c) ◡ – ◡ – | – ◡ ◡ – ◡ – ◡ –
diiambus | glyconeus primus.

Pers. 991: *ὁρᾷς τὸ λοι | πὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς.* Praebet hic versus unicum huius formae exemplum, quam frustra alibi in Aeschylo quaeres. Etiam in hunc versum cadit, quod ad Pers. 990 de Dindorfiana et Hermanniana mensura monuimus. ∾ **1001.**

d) ◡ – ◡ – | – ◡ ◡ – ◡ – ◡ – ◡̄
diiambus + logaoedicus, qui constat ex dactylo tribusque trochaeis.

Pers. 955 *ἐὴ ἐὴ | τλάμονες ἀσπαίρουσι χέρσῳ.* sic Dindorfius pro *M: ἒ ἒ ἔ.* ∾ **967:** *βοᾶ βοᾷ μοι* (inseruit Dindorfius) *μελέων ἔντοσθεν ἦτορ.*

Fortasse quintam quoque formam assumere licet, quamquam non bona fide affirmaverim hanc recte se habere.

e) ◡ – ◡ – | – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ –
diiambus + logaoedicus, qui constat ex dipodia dactylica et dipodia trochaica catalectica.

Sept. 464: *ἐπεύχομαι | δὴ τάδε μέν σε τυχεῖν, ἰώ.*

In versu tradito: *ἐπεύχομαι δὴ τάδε μὲν εὐτυχεῖν, ἰώ* per se nemo offendere potest; est trim. iamb., quem Weckl. Zomarides in editionem receperunt. Sed praeterquam, quod antistropha haud congruit[1]), alia accedunt: si ceteros versus respicimus, habemus dochmios (465, 466) logaoedicum (467) iterum logaoedicum (468), in quibus dactylus praevalet:

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡
– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ – ◡̄

Quare etiam primus huius strophae versus magis quam iambicos rhythmos logaoedicos continuisse videtur, quos Aeschylus cum dochmiacis miscere solitus est.[2]) Legendum igitur est *ἐπεύχομαι* | tum logaoedicus versus sequitur, qui haud scio an secundum Weilii coniecturam egregiam[3]) talem praebuerit speciem: *δὴ τάδε μέν σε τυχεῖν, ἰώ.* Observandum etiam est, hoc metrum ne ab eis quidem, quae versu exprimuntur, abhorrere. In diiambo ◡ – ◡ –, ubi rhythmus ascendit, precum initium bene depingitur, nam, ut animi ad deos mittuntur, sic rhythmus ipse ascendit, tum autem, cum preces ipsae proferuntur, vivacior rhythmus consurgit: ⏗ ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ –, quo vota ex intimo pectore emissa per dactylos[4]) apparent. — Antistropha V. 504 praebet: *πέποιθα τὸν Διὸς ἀντίτυπον ἔχοντ',* quae verba idem Weilius (editione 1863) mutavit in *πέποιθα τὸν | δὴ Διὸς ἀντίτυπον νέμοντ',* quod sensui ac metro sufficit.

1) quod quidem non satis causae est, cur versum mutemus. — 2) cf. Rossb. Metr. pag. 783. — 3) quam etiam Rossbachius (Metr. pag. 784) laudibus effert. — 4) qui saepius in precibus adhibentur, cf. Soph. Oed. Col. 236 sqq. Eur. Suppl. 278 sqq.

E. Diiambi cum trochaeis coniuncti.

Quamquam alibi haud pronus sum ad iambicotrochaeos statuendos, cum versus compositi saepissime per *τονήν* in unum versum eiusdem generis redigi possint, unum tamen exstat exemplum, quo iambos cum trochaeis coniunctos accipiam.

Pers. 636 ∾ 643: *παντάλαν' ἄχη | διαβοάσω:* ‿́ ‿ ‿ – | ‿́ ‿ ‿ – ‿̄ Bernhardi[1]) trochaeis solis hic locum dedit, quod idem acciperem, nisi antistrophico versu ad alium finem ductus essem. Ibi enim legitur: *πέμπετε δ' ἄνω, οἷον οὔπω | Περσὶς αἶ ἐκάλυψεν.* In his autem verbis *πέμπετε δ' ἄνω,* quibus de ascensu ipso agatur, certe rhythmus ascendens, minime descendens postulatur, quare iambi principatum tenent, quibus ascensus ipse depingitur. Tum autem hiatu *ἄνω | οἷον* ad trochaeos sequentes accipiendos impellimur, ut totus versus constet e diiambo et ditrochaeo, quod metrum etiam ad strophae verba quadrat: *παντάλαν' ἄχη | διαβοάσω,* ubi diiambo vox altitudinem summam ascendit itaque verbum *παντάλαν'* magis effert. Quare haud necessarium puto cum Dindorfio[2]) *διαμβοάσω* et *τὸν οἷον* scribere, vel cum Rossbachio[3]) *παντάλαν' ἄχη διαβαΰζω* in textum recipere et de tripodia paeonica catal. cogitare.

III. Tripodia.

1. iambi soli.

A. iambi puri.

Ag. 185: *ἐπεὶ δὲ καὶ πικροῦ.* Sane haec verba unum efficiunt versum, tripodiam, quae bene desperationem Graecorum depingit. Si inde a V. 179 versus recitamus et ad hunc versum pervenerimus et hanc tripodiam legerimus, subito haerebimus, nam consueti sumus tetrapodiis vel hexapodiis magis, quam tripodiis, quae in his carminibus iambicis raro occurunt; desiderant aliquid aures nostrae in tripodia, quae de industria a poeta electa est. Quare reicienda videtur Wilamowitzii descriptio[4]), qui verba inde a *τρίβῳ* usque ad *πικροῦ* coniunxit itaque vim tripodiae plane debilitavit. Rectius H. Schmidtius[5]) hos versus descripsit. ∾ **198:** *τί τῶν δ' ἄνευ κακῶν;* hic quoque post interrogationem pausa fit, quae optime ad verba eius, qui quaerit, apta est.

Suppl. 415: *ἱππηδὸν ἀμπύκων.* Haud scio an haec quoque tripodia inter dochmios mixta sit, sed cum antistrophicus versus

1) l. l. pag. 8. — 2) Äschyl. Chorgesänge pag. 27/28. — 3) de Pers. cant. psychag. in indice lect. Vratisl. 1861, pag. 9. — 4) quam l. l. pag. 4 instituit. — 5) Kunstf. I, pag. 155: „aber man kommt mit allen Sinnen nicht weit vorwärts, daher kleine Tripodieen; jeder Gedanke stockt, — hinter der Tripodie eine Pause, in allem Denken ist kein wahrer Zusammenhang, keine logische Unter- und Überordnung.“

haud consonaret, diversae de mensura prolatae sunt sententiae. Seidlerus[1]) tradita tenuit et dochmios numeros huic versui attribuit: ἱππηδὸν ἀμπύκων: ‿ ‿ ◡́ ◡ ◡ ‿, ut responderet: ὅμοιαν θέμιν. Sed potestne fieri, ut syllaba ἀμπ corripiatur ego dubitaverim, de qua re conferas Bambergerum[2]), qui ipse ἱππαδόν ‿ ◡́ ◡ proposuit. — Concedere debemus difficile esse diiudicare, utrum dochmio an iambico palma danda sit; fortasse ob id tripodia iambica praeferenda est, quod ὅμοιος V. 419 suspicionem movet, cum diverbiis potius, quam canticis dignum sit.[3]) Quare cum Klausenio ὁμοῖαν aut rectius cum Heimsoethio[4]) ἀντίῤῥοπον θέμιν scribam et iambicos statuam, quos idem Pickelius[5]) haud reiecit. —

Dubitationem summam movet:

Suppl. 854: ἄραχνος ὡς βάδην, quae verba inter corruptissimos versus exstant. Respondere videntur V. **863:** ἔχιδνα δ' ως μέ τις, ubi ultimum verbum Turnebus addidit.

B. iambi soluti.

Ch. 152: ὀτοτο τοτοτο τοτοῖ. Tradita interiectio contra Weilii ὀτοτο τοτο τοτοῖ (dochmius) defendi poterit. — Eodem modo

Eum. 158: ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λίβον tripodia dochmiacis inserta est, quem versum Bambergerus[6]) constare e disyllaba anacrusi et dochmio censet nixus in Hermanni sententia, qui[7]) dicit: „harum (formarum) prima est, quae in principio anacrusin disyllabam habet.“ Sed si metimur ◡ ◡ | ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ego quidem post anacrusin dochmium non video, cum una syllaba plane desit, praeterea magis ad totius strophae naturam tripodia iambica quadrat, cum canticum ex dochmiis constet, quibus cola iambica immixta sunt. — Repudianda etiam videntur, quae Otfr. Muellerus protulit: per paracatalogen haec dicta esse neque certam formam statui posse.[8]) Contra Hermannus rectius, quam in elementis iudicaverat, in opusculis VI, 2, pag. 143 dicit: „es bedarf nur ganz gemeiner Kenntnis der Metrik, um die ganz unzweideutig daliegenden Jamben zu erkennen.“

∾ **165:** περὶ πόδα, περὶ κάρα.

Sept. 765 ∾ **772.**

C. iambi syncopati.

Pers. 633: βάρβαρα σαφηνῆ: ‿ ◡́ ◡ ◡ ⊥́ ‿. Cum V. **640** legeretur: δαίμονα μεγαλαυχῆ viri docti conati sunt, versus exaequare,

1) l. l. pag. 25. — 2) opusc. pag. 111. — 3) invenitur enim semel tantum in cantico (Sept. 704), at ter decies in diverbiis. — 4) Wiederh. pag. 288. — 5) diss. Argentor. III, pag. 195. — 6) opusc. pag. 21,1. — 7) elem. pag. 253 — 8) cf. edit. pag. 85: „Kurze Silben, die, in iambische u. dochmische Rhythmen eingeschoben u. beinahe wie Prosa (καταλογάδην) in einem gleichmässigen schwebenden Tone vorgetragen, das scheinbar Regellose jener Masse aufs höchste steigern.“

cum scribebant *μεγαυχῆ* [1]), ut tripodia iambica exsisteret, cuius primus pes esset dactylus, ultimus syncopatus. Huic sententiae obstiterunt H. Schmidtius, Reiterus, Rossbachius. Schmidtius enim [2]) choriambicam mensuram instituit, cum antistrophicum versum integrum reliquit et cum Hartungio in stropha scripsit: *βάρβαρά γε σαφηνῆ* ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ | – –, quam rationem etiam Gevaertius [3]) amplexus est, ut notae musicae indicant. Sed choriambus solutus –́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ apud tragicos locum non habet neque ullo exemplo firmari potest. Nec cum Rossbachio faciam, qui [4]) dipodiam paeonicam catalecticam accepit. Reiterus [5]) traditam scripturam servavit et trochaeos statuit ˌ ʹ ⏑́ ⏑ ⏑ └́─ └́─ *βάρβαρα σαφηνῆ*

∾ –́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ └́─ └́─ *δαίμονα μεγαλαυχῆ*

id est in stropha tetrapodiam, cuius primus pes syncopatus, alter in tribrachyn solutus est, tertius et quartus iterum syncopati sunt; in antistropha eundem versum accepit, nisi quod hic pes primus integer servatus est. Demonstrare enim studuit in dissertatione, *μακρὰν τρίσημον* └─ respondere posse puro pedi – ⏑ vel – –; sed *μεγαυχῆ* pro *μεγαλαυχῆ* non inter gravissimas mutationes numerandum est, quare quod vulgo scribitur, nos quoque accipiamus.

Pers. 952 ∾ 964. Sept. 753: *ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν,* quae verba sane iambicos numeros efficiunt, non dochmiacos, ut Seidlero [6]) visum est, nam in hac stropha iambica iambos ab initio usque ad versum quintum percurrere credo, donec hic rhythmus ultimo versu pherecrateo excipitur. Itaque, quod iam pag. 11 monuimus, hic quoque valet: non posse pherecrateum pro dimetro iambico locum obtinere, a qua ratione Wilamowitzius [7]) non discessit, qui versum nostrum cum sequente coniunxit et tetrametrum iambicum catal. indicavit: ⏑ └─ └─ └─ └─ – ⏑ ⏑ – ⏑ └─ –. Legas versum, iam intelleges, quam male quattuor illae *τοναί* sonent, quae statim se sequuntur. [8]) ∾ **759.**

Sept. 761: *ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων.* Jambicum versum dochmiaco praeferam, quoniam alii iambici sequuntur, qui per hunc versum inducuntur. Weilius (nov. edit.) legit *ἐπεί* usque ad *γάμων* uno tenore, quam descriptionem etiam apud Wilamowitzium [9]) invenimus. Nescio, quo iure tripodia tollatur, nam ipsa illa species cum eis, quae narrantur, bene congruit. Ut iam ad Ag. 185 vidimus, tripodia dubitationem exprimit et cursum numerorum coercet. Hic autem, ubi explicatur, quomodo Oedipus coniugium infaustum paullatim detexerit, per tripodiam audimus, quomodo sentiat, quamnam in

1) quod recc. unus exhibet. — 2) Kunstf. I, pag. 356. — 3) „histoire et théorie de la musique de l'antiquité“ pag. 76. — 4) „de Pers. cant. psych.“ in indice Vratisl. 1861, pag. 9. — 5) l. l. pag. 145. — 6) l. l. pag. 29. — 7) l. l. pag. 15. — 8) aliud esset, si preces hic effunderentur, ubi *τοναί* frequentes, quae se excipiant, rectissime se haberent: cf. Suppl. 857, 859, Eum. 940. — 9) l. l. pag. 28.

matrimonium duxerit, nam inesse in hoc versu haerendi et obstupescendi notionem persuasum habeo.

∾ **768:** *τέκνοισιν δ' ἀράς.* Hoc Hermannus pro *τέκνοις δ' ἀραίας* proposuit, contra Reiterus nihil mutavit, ut responderet:
∪ ⌴ – ∪ – (761) Sed illud *ν ἐφελκυστικόν* in codicibus omissum
∾ ∪ – ∪ ⌴ – (768) nihil demonstrat, responsionem fuisse liberiorem, nam talia peccata sescenties inveniuntur. — Praeterea ictus in *τέκνοισιν* ∪ ⌴̋ – hoc rerum conexu magis commendatur.

Sept. 934: *AN: παισθεὶς ἔπαισας.* Haec verba a ceteris seiungam, ut tripodia syncopata exsistat, verba sequentia autem trochaeos efficere credam: *IΣ: σὺ δ' ἔθανες κατακτανών*[1]), nam ipsa in metrorum variatione Aeschylus perfecisse videtur, ut sorores diversis modis dolorem aperirent: ∪̄ – ∪ ⌴ ⏓
∪́ ∪ ∪ – ∪ – ∪ –

2. Tripodiae cum aliis versibus coniunctae.

A. cum dochmiis.

Fortasse huc spectat:

Prom. 577: *οἰστρηλάτῳ δὲ | δείματι δειλαίαν* ∪̄ – ∪ ⌴ ⏓ | – ∪́ ∪ – ∪ –, quem versum Hermannus[2]) et Dindorfius[3]) penthemimerem iambicam addito dochmio censent, Pickelius[4]) tetrapodiam iambicam catalecticam ⌴ ⌴ ∪ ⌴ ⏓. Me autem versum aliter explicare non posse aperte profiteor, quam ut supra eum explicavi, quamquam certi nihil statuerim. ∾ **598. Ag. 1110:** *ἰὼ γάμοι, γάμοι | Πάριδος ὀλέθροι.* cum Hermanno[5]) illud *φίλων,* quod in fine huius versus legitur, ad sequentia traham, minime cum Dindorfio[6]) versus iambico-trochaicos amplectar ∪ – ∪ – ∪ – | ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ –, nam ipsa cantici natura nos magis ad iambicos et dochmiacos statuendos invitat, quam ad trochaeos. ∾ **1121.**

Ag. 1111: *φίλων. ἰὼ Σκαμάν | δρου πάτριον ποτόν* ∾ **1122:** *τὸ πᾶν· ἰὰ πρόπυρ | γοι θυσίαι πατρός.* Non in hoc offendendum est, mediis in his tripodiis enuntiatum finiri: *φίλων | ἰώ . .* et *τὸ πᾶν | ἰώ . .* nam similiter res se habet V. 1070 *φόνου· | στάσις . .* ∾ 1081: *τύπτει· | πίτνει.*

Ag. 1364. Hic quoque tripodia iambica, quam dochmius sequatur admittenda videtur: *ἀπέδικέ σ' ἀπέταμέν σ' | ἀπόπολις δ' ἔσῃ* (sic Wieselerus pro *ἀπέδικες* et *ἀπέταμες* et Seidlerus[7]) pro *ἄπολις*). Nam si antistrophicum versum respicimus, *ἀτίετον*[8]) *ἔτι σε χρὴ | στερομέναν φίλων,* magis ad hunc versum statuendum proni sumus,

---

1) legendum enim est *κατακτανών* ∪ – ∪ –, cf. 942. — 2) elem. pag. 262. — 3) Metr. pag. 9. — 4) l. l. pag. 203. — 5) in editione. — 6) Metr. pag. 43. — 7) l. l. pag. 172. — 8) sic secundum Parisinum c.

quam ad dimetrum dochmiacum, cui Weilius[1]) aditum praebuit, quam mensuram Pickelius[2]) quoque probat.

Eum. 148: ὕπνῳ κρατηθεῖσ' | ἄγραν ὤλεσα. Dindorfius elegantiam rhythmorum non sentire videtur, qui[3]) iambico-trochaicam mensuram proposuit ⏑ – ⏑ – | – ⏑ – – ⏑ ⏓, quae, ut verbis eius utar „probabilior videatur, quam quae ipsa non reprehendenda sit, iambico-dochmiaca." Hunc autem versum[4]) recte defenderunt Heimsoethius[5]) et Christius[6]), ac summo quidem iure, nam natura atque indoles τονῆς: ὕπνῳ κρατη — θεῖσ', qua vis somni, quae vivaces deas oppressit, depingitur, mihi persuadet, ut de nullo alio versu cogitem. Huc accedit, quod in antistropha V. 154: τί τῶνδ' ἐρεῖ τις | δικαίως ἔχειν, minime novus versus ab enclitica τις incipere potest, immo sic interpungendum est: τί τῶνδ' ἐρεῖ τις || δικαίως ἔχειν.

Eum. 773: μεθεῖσα καρδίας | σταλαγμὸν χθονί. Causam non video, cur Hermannus et Weckleinius (in Orestia) „θῇ" ex antecedente versu transposuerint, ut trochaei evaderent, aut cur Weilius (nov. edit.) V. 772 et 773 ad unum coniunxerit. ∾ **801.**

Suppl. 872: ἰὼ πόλεως ἀγοὶ | πρόμοι, δάμναμαι. Kruseius[7]) de iambica hexapodia 5. pede syncopata cogitavit ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – sed talem versum nisi apud Euripidem non occurrere Rossbachius[8]) observavit, ut rectius de hoc versu Weilius[9]) iudicasse videatur, qui metrum sic describit: ⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ –. ∾ **875.**

B. cum logaoedicis.

Unum tantum exemplum huius formae exstare puto

Pers. 954: στυγνὰς Ἀθάνας | πάντες ἐνὶ πιτύλῳ
tripod. iamb. sync. | log., qui constat ex dactylo et dipodia trochaica catal., cuius pes prior solutus est.

Hunc logaoedicum Rossbachius[10]) dochmium censet, sed logaoedicus ob id praeferendus est, quod proximo versu similem speciem habemus, praeterea, quod dochmiaci versus in hac fabula praeter v. 266 plane omissi sunt. ∾ **966** ἄλαστ' ἄλαστα (addidit Hermannus) | στυγνὰ πρόκακα λέγων.

IV. Tetrapodia.

A. iambi puri.

Ac primum strophicos versus, qui ex puris pedibus constant, tractabo tum vero versus antistrophicos, qui suum versum sequentur.

1) qui scribit: σ' ἀπέδικέν σ' ἀπέταμ'... et ἄντιτον ἔτι σε χρή. — 2) l. l. pag. 192. — 3) in Metris pag. 52. — 4) qualem habemus Eurip. Bach. 1155: τὰν τοῦ δράκοντος | ἐκγενέτα Πενθέως. Iph. Taur. 829: ἔχω σ' Ὀρέστα | τηλύγετον χθονός. — 5) Wiederh. pag. 335. — 6) Metr. pag. 446. — 7) in editione Supplicum. — 8) Metr. pag. 251. — 9) in editione 1866. — 10) Metr. pag. 161.

Praeterea eos solum versus exscribam, quibus memoratu aliquid dignum occurrit, alios laudabo tantum.

Pers. 979 ∾ 985.

Pers. 1018: *διαίνομαι γοεδνὸς ὤν* ∾ **1010** *αἰαῖ αἰαῖ, δύα, δύα.* Versuum locum cum Butlero et Passowio mutavi, nam si Xerxes chorum iubet, calamitatem deplorare (*δίαινε, δίαινε πῆμα...*) chorum certe respondere exspectamus. Sed hoc uno tantum versu excepto videndum est, ne textum versibus commutandis et transponendis nimium sollicitemus. Neque enim hominum re adversa oppressorum est, diligenter ad ea respondere, quae ex eis quaesita sunt, immo dolor ad tantam gravitatem progressus est, ut longe ab arte poetica abesset, si logico quodam ordine responsio quaestionem exciperet. Jure optimo Wilamowitzius[1]) docuit, locum haud ita corruptum esse, quam a plerisque viris doctis iudicatus sit. Bene etiam Westphalius[2]): „es kommt vor, dass die an derselben Strophe teilnehmenden Sänger in der Heftigkeit des Schmerzes auf die gegenseitigen Worte nicht Rücksicht nehmen."

Pers. 1011 ∾ 1019. Pers. 1012 ∾ 1020. Pers. 1015 ∾ 1023. Pers. 1037. Prom. 161 ∾ 181. Prom. 163 ∾ 183.

Prom. 433: *βοᾷ δὲ πόντιος κλυδών.* Hic versus nulli respondet, nam postquam strophae et antistrophae convenienter se secutae sunt, nunc quidem epodicum finem facit inde a V. 427, ubi ego quidem nullum responsionis vestigium detegere possum. Alii aliter censuerunt et responsioni per vim vias aperuerunt, ut Hermannus[3]), qui putat, nostro versui respondere V. 427, quem in *μόνον δὲ πρόσθεν ἐν πόνοις* formavit, tum Weilius[4]), secundum quem hic versus olim sic fuit: *βοᾷ δὴ πόντιος κλυδὼν* ⏑ – ∾ 427: *μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις*, qua ratione etiam in nova editione sibi constitit, deinde L. Schmidtius, qui in editione hoc proposuit: *μόνον δὴ πρ. ἐν πον.* ∾ *βοᾷ δὲ ποντ. κλυδ.* Heimsoethius[5]) idem responsioni favit et Hermanni vestigia pressit. Ab altera parte hi exstiterunt: Dindorfius[6]), Kirchhoffius, Weckleinius, O. Ribbeckius[7]), qui rectissime epodicum tenuerunt.

Ag. 116 ∾ 130.

Ag. 427—428. Sitne recta descriptio, quae in libris invenitur, quam amplexi sunt Weckleinius, Engerus, Heimsoethius[8]),

στένουσι δ' εὖ λέγοντες ἄν-
δρα, τὸν μέν, ὡς μάχης ἴδρις, } dubitari potest.
τὸν δ' ἐν φοναῖς καλῶς πεσόντ'[9])

1) l. l. pag. 22. — 2) „Prolegg. zu d. äschyl. Tragödien" pag. 128. — 3) opusc. VII, pag. 255. — 4) in editione 1864. — 5) Wiederh. pag. 274. — 6) Metr. pag. 7. — 7) qui in Mus. Rhenano XIV, pag. 627, versus 433 sqq. ante versus 427—432 posuit. — 8) Wiederh. pag. 359. — 9) hunc versum, quamquam inter versus initio spondiaco

Kirchhoffius duos statuit trimetros (*στένουσι — ὡς* et *μάχης — πεσόντ'*) quod acceperunt Weilius et Dindorfius[1]), refutavit Heimsoethius[2]); in Metris autem[3]) Dindorfius tetrametrum (*στένουσι — ἴδρις*), tum dimetrum (*τὸν δ' — πεσόντ'*) sequi voluit. Mihi quidem dimetri melius currere videntur, quam longi trimetri, nam per dimetros sententiae melius distinguuntur: primo dimetro omnino notio deplorandi et laudandi inest, sequente vir, qui pugnae peritus fuit, effertur, tertio denique vir qui bene in pugna versatus mortem occubuit, praedicatur. Sic divisio quaedam per dimetros facta est. — Respondent, si modo haec distributio recta est:

444—445: *τυχηρὸν ὄντ' ἄνευ δίκας*
παλιντυχεῖ τριβᾷ βίου
τιθεῖσ' ἀμαυρόν, ἐν δ' αἰ —

Ag. 461: *ἐν ἀλλαγᾷ λόγου καμεῖν.* Sine dubio recte a Weilio et Klausenio observatum est, *ἐν,* quod ante *γυναικός* in versu proximo legitur, in initium huius versus transponendum esse, ut dimeter iambicus evaderet, qui multo magis ad versuum antecendentium et sequentium rhythmum quadrat. Ac ne hoc quidem epodico, quo singula membra praeclarissime sententiis accomodata sunt, Wilamowitzius[4]) omisit, ordinem traditum turbare, qui epodicum variis coloribus ornatum solis ex tetrametris iambicis et trochaicis constare voluit, legens: *πυρὸς* ——— *θοά*
βάξις - - - - - - *θεῖόν ἐσ-*
τιμ ψύθος ——— *κεκομμένος*
φλογὸς - - - - - *πυρωθέντα καρ-*
δίαν ——— *αἰχ-*
μᾷ πρέπει — — — *ξυναινέσαι.*
πιθανὸς ——— *ταχύπορος, ἀλ-*
λὰ ——— ——— — — *κλέος.*

Quae descriptio mihi quidem haud recta videtur, cum nulli metrorum variationi provisum sit, quae secundum sententias, quae singulis versibus proferuntur, efficienda erat. Versus enim tali modo sine colore devolvuntur, quasi non chorus haec diceret in parte melica fabulae, sed persona quaedam in diverbio.[5])

---

numerandus est, hoc loco attuli, quod fere omnino ex puris iambis constat et antecedentibus dimetris simillimus videtur; quare non cum Engero in spondeo offendam, (dicit: „spondeus suspicionem movet, cum in toto hoc carmine pedes diligentissime exaequati sint.") nam vis spondei in hoc articulo, quem *δ'* sequitur, minime aures nostras ita pungit, ac si legeremus *ὦ Ζεῦ* vel tale quid, ubi robur spondei magis elucet. — 1) in poetis scaenicis. — 2) Wiederh. pag. 359. — 3) pag. 37. — 4) l. l. pag. 14. — 5) Versus enim nonnulli in hoc epodico satis declarant, se in aliam formam, quam quae tradita sit, non esse mutandas, ut 457 et 458, qui pari ambitu similem praebent

Ch. 22: *ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν* ∾ **31** *τορὸς γὰρ ὀρθόθριξ φόβος.* *φόβος* ex corrupto *φοῖβος*[1]) ab Heathio probante O. Hensio[2]) restitutum est, cum alii alia suaderent.

Ch. 27 ∾ **36. Ch. 45** ∾ **55. Ch. 46** ∾ **56. Ch. 47** ∾ **57. Ch. 412** ∾ **433. Ch. 446** ∾ **451.**

Ch. 622: *τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος.* Displicet tam longum colon inde a *τὸ δ'* usque ad *οὐτᾷ*, cui Rossbachius[3]) favit, quod Heimsoethius[4]) vituperavit iure, nam decapodiae iambicae contra leges solitas faciunt.[5]) ∾ **628.**

Ch. 624: *διαὶ Δίκας* (*τὸ μὴ θέμις*) et

626: *τὸ πᾶν Διὸς σέβας παρεκ-* sintne dimetri iambici, (ut apud Kirchhoffium factum est) et versus 625 et 627 trochaici, an 624 cum 625, 626 cum 627 coniungendi, ut tetrametri exsistant, ego diiudicare non ausim, cum certe demonstrari non possit. Hoc autem bona fide affirmaverim, versu 624 post *τὸ μὴ θέμις* verba *γὰρ οὐ* expungenda esse, nam versu antistrophico V. **630** legimus: *τέκνον δ' ἐπεισφέρει διμασε* ubi ultimum verbum fuisse *δόμοις* Schuetzius vidit. — Ceterum v. 626 respondet **632:** *τίνει μύσος χρόνῳ κλυτή*, quem versum eodem iure cum sequente ithyphallico coniungere licet, ut tetrameter syncopatus eveniat. Sed de versuum descriptione aliquid certi proferre fata nos vetant, cum nihil difficilius sit, quam dimetros iambicos + dimetros trochaicos separare a tetrametris iambicis.

624 ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – }
625 – ⏑ – ⏑ – ⏑ – } an: ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –.?

vel 626 ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – }
627 – ⏑ – ⏑ – ⏑̄ } an: ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –[6])?

Unam autem descriptionem refutare licet, Weckleinianam (in Orestia): *τὸ πᾶν Διὸς* || *σέβας* etc. Stropham per trimetrum syncopatum terminari, per se minime ab Aeschyli consuetudine abhorret,

---

speciem similesque sententias continent. Tum vv. 461 et 462 haud aliter describendi erant, nam bene post interrogationem, quae dimetro: *ἐν ἀλλαγᾷ λόγον καμεῖν* clauditur, responsio sequitur, quae ipsa quoque dimetro, ac syncopato quidem, incipit. Tum trimeter ille 464, ubi pedes soluti bene electi sunt, haud delendus erat, nam in eo impetus fastigium ascendit et per solutiones longius productus esse videtur, quam alia cola. Postremo observandum est, quam egregie ultimus trimeter syncopatus finem facit huius epodici, quod alias iam saepe videmus. — Versus igitur tradita specie teneam. — 1) quod Weckleinium (Philol. XXXVIII, 351) defensorem invenit. — 2) Krit. Blätter I, pag. 8. — 3) Metr. pag. 272. — 4) Wiederh. pag. 339. — 5) Ceterum longum versum Rossbachius ipse non tam integrum duxit, cum confiteatur: „So könnte man, wie es bisher geschehen, mit *διανταίαν* einen neuen Vers beginnen. — 6) Conatus quidem sum, capite III aliqua ex parte trochaeos – ⏑ – ⏑ – ⏑ – probare, sed etiam de eis, quae ibi prolata sunt, dubitare possis.

eo magis autem diiambus offensionem movet. Nam, ut sub I B vidimus, diiambus nisi in interiectionibus aut in vocativis aut exclamationibus aut verbis, quae homines vel dolore vel insania incitati raptim eiciunt, non occurrit, minime in hoc cantico graviter ac severe recitato.

Ch. 931: *διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης.* Habemus iterum iambicum inter dochmios.[1]) ∾ **941.**

Ch. 936 idem huc referendus est, scribendum autem pro *ὑπό* cum Hermanno *ὑπαὶ δυοῖν μιαστόροιν,* nam totum carmen ingenium iambicodochmiacum spirat, ut trochaeis ⏑́ ⏑ ⏑ _ ⏑ _ ⏑ _ locum denegaverim.

Ch. 958. Eum. 768: *ἰὼ θεοὶ νεώτεροι.* Hunc dimetrum, qui minime cum H. Schmidtio[2]) et Gevaertio[3]) in dochmium mutandus erat, sequitur dochmius, id quod iam saepius observavimus.

Sept. 403: *φόρους, μόρους ὑπὲρ φίλων.* Hic quoque dochmii antecedunt. ∾ **438:** *ἑδωλίων ὑπερκόπῳ.*

Sept. 752: *πρόπρυμνα δ' ἐκβολὰν φέρει.* Versu antecedente cum *πενομένους* cum Buechelero et Kirchhoffio legam, hic *ἐκβολάν* retinendum censeo.[4]) ∾ **758:** *ὅσον τότ' Οἰδίπουν τίον.*

Sept. 819: *νεκροὺς κλύουσα δυσφόρως;* hanc Medicei esse scripturam Ritschelius expressis verbis in editione ostendit. ∾ **827** *ἰὼ πολύστονοι, τόδ' εἰρ* _. Hic iterum alii, ut Kirchhoffius, Hermannus, Weckleinius 819 pro dimetro iambico, V. **820:** *θανόντας· ἦ δύσορνις* ὄ _ pro eodem versu, 821 autem pro trochaico habuerunt, alii, ut Bernhardi[5]) 819 + 820 uno tenore legere maluerunt et, quae restant, 821, pro dimetro trochaico accipere, alii denique, ut Weilius, versus 820 + 821 ad tetrametrum iambicum syncopatum coniunxerunt. Quod iam ad Ch. 622 (pag. 22) annotavimus, neque hic pro irrito habuerim: utroque loco fieri non potest, ut indiciis nixi, quibuscum omnes uno ore consentiunt, aperte demonstremus, hanc vel illam versuum compositionem esse veram.

Sept. 940: *ΑΝ: ἴτω γόος. ΙΣ: ἴτω δάκρυ.* Ante hunc versum Weilius et Hartungius V. 942 substituerunt, sine iure, ut credo, nam hoc proodico, quo sorores dolores acerrimos abruptis verbis ex pectoribus effundunt, leges severae, quod ad versuum ordinem attinet, observandae non sunt.[6]) — Praeterea non mirum videtur: *ἴτω*

1) cf. Seidlerum, l. l. pag. 121. — 2) Kunstf. I, pag. 286. — 3) „hist. et théorie de la mus.“ II, pag. 531. — 4) O. Ribbeckius in stud. Lips. XIV, pag. 355: *ἐκβολᾶν.* — 5) l. l. pag. 8/9. — 6) nam, ut iam hac occasione monendum est, proodicum vv. 934—942 contineri ego cum plerisque editorum arbitror, neque vero strophicam responsionem huic loco obtrudendam esse, quam Hermannus instituit. Vide autem, qua arte Aeschylus doloris gradus expresserit, qui primo doloris impetu puellas verba sine responsione effundentes

γόος | *ἴτω δάκρυ*[1]) cum poeta dimetrum in duas partes divisum esse altius efferre studuerit, quod etiam versibus antecedentibus fecit, ubi diiambus primus eodem verbo incipit ut diiambus alter.[2])

Sept. 948: *σὺ δ' αὖτε καὶ πανάθλιε* ∾ **963:** *σωθεὶς δὲ πνεῦμ' ἀπώλεσεν;* hic primus pes spondeus est, qui interdum pro puro iambo supponitur. Observandum autem hoc est, si compluribus exemplis occurrit, neque vero cum accidit, statim expellendum est. Imprimis Heimsoethius hac in re valet, postquam iam Hermannus in hanc consuetudinem inclinavit.[3]) Heimsoethius igitur Lachmannum secutus *συθείς* proposuit[4]), quod etiam Weckl. — Zomarides in editionem recipere haud dubitaverunt. Spondeus autem culpa caret.[5])

Sept. 951: *AN*: *διπλᾶ λέγειν. ΙΣ: διπλᾶ δ' ὁρᾶν.* Verba in unum versum coniunxerim. — **966:** *AN*: *τάλαν γένος. ΙΣ: τάλαν πάθος.*

Sept. 974: *σὺ δ' οὐδὲν ὕστερος μαθών*, quod Heimsoethius[6]) idem responsionis quae dicitur causa mutavit in *σὺ δ' οὔ νιν ὕστερον ἔμαθες*, cum antecedentem versum strophicum putaret.

Sept. 975.

Sept. 979: *AN*: *ἰὼ πόνος. ΙΣ: ἰὼ κακά.* Alterum *ἰώ* in Mediceo additum expungendum videtur nec cum Hermanno *ὦ πόνος, ὦ κακά* vel cum Heimsoethio *ἰὼ ἰὼ πόνοι. ἰὼ ἰὼ κακά* scribendum, nam cum epodici ingenio ac natura magis dimetri iambici, qui per personarum mutationem in duas partes divisi sunt ac celeriter devolvuntur, conspirant, quam aliae versuum formae. Variatio rhythmorum proximo denuo versu incipit, ubi iambici pari ordine currentes subito per dactylos excipiuntur, donec sub finem trimetri et pentapodiae principatum tenent, qui per syncopen diversis pedibus factam ipsi quoque variationem quandam afferunt.

---

fecerit, tum autem (inde a V. 943 usque ad 972) stropham antistropham sequi voluerit, donec iterum versus sibi partim responderent, partim (inde a V. 982) sine responsionis vestigiis currerent. — 1) cf. Christium, Metr. pag. 351. — 2) quod ad mensuram versus attinet, quasi iocosa et ridicula doctrina metrica videtur, quae de hoc versu in anecdotis Chisianis prolata est: *ἴτω γόος· ἴτω δάκρυα· τρίμετρος ἀκατάληκτος· μετρεῖται γὰρ οὕτως· ἴτω ἴαμβος, γόος ι* (◡́ ◡ ◡) *χορεῖος. τω δακρυ· δάκτυλος. εἶτα ἡ περιττὴ συλλαβή.* Bene hinc discimus, ad quas ineptias grammaticorum praecepta interdum progrediantur. — 3) cf. ad Eurip. Phoen. pag. 29: „ac sane, si fieri potest, curandum, ut in antistrophicis pedes sibi exacte respondeant.“ — 4) recte Weilius: „frustra Lachmann aliique *συθείς*, etiam versu priore tentato ad longam anacrusin removendam.“ — 5) de hac responsione haud exacta rectissime Christius iudicavit in Metr. pag. 641: „am häufigsten finden sich jene Abweichungen in trochäischen u. mehr noch in iambischen Strophen“, pag. 380: „fast in allen Strophen vermisst man eine strenge Responsion von Strophe und Antistrophe in Bezug auf die Auflösung der Längen.“ — 6) Wiederh. pag. 36.

Suppl. 67: *γοεδνὰ δ' ἀνθεμίζομαι* ∾ **74:** *πέλοιτ' ἂν ἔνδικοι γάμοις*, ubi Hermannus fortasse recte *νόμοις* coniecit coll. schol.: *ἐπὶ τοῖς νενομισμένοις καὶ δόξασιν ἡμῖν.*

Suppl. 106: *ἰηλέμοισιν ἐμπρεπῆ* de quo versu a praecedente interiectione separando iam pag. 7 egimus. ∾ **115.**

Suppl. 122 ∾ **132.** Mea quidem sententia etiam

Suppl. 124 in dimetrorum ordinem referendus videtur, nam ubi primum strophae initium legimus, sane iambici dimetri, multo magis, quam versuum aliorum formae, exspectantur. Hos igitur versus cum Oberdickio statuam: *ἀχείματόν μ' ἔπεμπε σύν* | ∾ **134:** *ἔχουσα σέμν' ἐνώπι' Ἄρ|-*, ubi haud scio an pro depravato *ἀσφαλές* cum Hermanno nomen deae: *Ἄρτεμις* restituendum sit. Quomodo versus sequentes metiendi sint, tum videbimus, ubi unumquemque tractabimus.[1])

Suppl. 573: *γένους παλαιόφρων μέγας*, ex quo versu Bambergerus verbum *γένους* deprompsit, ut antecedentem, quo iambus desiderabatur, suppleret.[2]) ∾ **578:** *πάρεστι δ' ἔργον ὡς ἔπος.*

Suppl. 746: *νέφεσσι γειτονῶν Διός*, ubi *νέφεσσι* propter metrum in textum reducendum esse iam Arnaldus vidit. Pickelius autem[3]) traditae lectioni fidem praestitit et sic metitur:

μέλας γενοίμαν κάπνος | *νέφεσι γειτονῶν Διός.*

⏑ – ⏑ – ⌞– ⏑ ⏓ Λ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓

Sed, ne dicam de infelici ratione, quam de syncope adhibuit[4]), in antistropha, ubi legimus (**753:**) *βρόχου τυχεῖν ἐν ἀρτάναις*, coactus est, pro tradito *βρόχου* in textum inferre: *πρόπρο.* Multo melius autem metro consuli arbitror, si in *νέφεσιν* litteram *σ* duplicamus neque verbum *βρόχου* eicimus languidumque illud *πρόπρο* inducimus, quod nescio quo pacto etiam Dindorfius[5]) defenderit, quamquam ipse quoque concedit, verbum apud tragicos non inveniri, usurpari potius ab Apollonio Rhodio, cum tragici verbo *πρόπαρ*[6]) utantur.

Suppl. 776: *βίαια μὴ φιλῇς ὁρᾶν. M: φιλεῖς; φιλῇς* Hartungius. ∾ **784:** *βίαια δίζηνται λαβεῖν*, ubi tertio pede spondeum habemus.

1) ceterum cf. quae cap. III de totius strophae compositione dicta sunt, ubi singula cola secundum ea, quae continent, accuratius descripsi. — 2) cf. ad v. 572. — 3) l. l. pag. 163. — 4) autumat enim, ut ex signis, quae apposuit, apparet, *τονήν* non syllabam, quae ante syllabam syncopatam est, ferire, sed syllabam syncopatam ipsam. Hoc autem modo vis *τονῆς*, quam capite V planius illustravimus, radicitus expulsa est, nam si legimus *ἅτα* ⏊ ⏊ pro *ἅ – τα* ⏊ ⏊, ictus non in *α* primo, sed in altera syllaba versatur, quare ea syllaba effertur, quae ictu non egebat. Contra hanc opinionem cf. Westph. „Rhythmik und Harmonik" 1867 pag. 738: „die *τονή* trifft nicht die schliessende Thesis, sondern die vorausgegangene Arsis, die im iambischen Masse zu einer *τρίσημος* ausgedehnt wird." — 5) ed. Teubn. 1873, pag. LXXIV. — 6) cf. Suppl. 755.

B. Pedes alii, qui vice iambi funguntur.

α) Tribrachi.

a) primo pede.

Pers. 994 ∾ **1004. Suppl. 123:** *τε δόμος ἅλα στέγων δορός.* Cum in antistropha **133** legeretur: *(ἁ)γνά μ' ἐπιδέτω Διὸς κόρα,* viri docti versum nostrum respondenti plane parem reddere studuerunt: Heimsoethius: *καὶ δόμος,* Weilius: *τ' εὖ,* quas coniecturas optimo iure Oberdickius[1]) vituperavit. Recte etiam Dindorfius[2]) censet: „man nimmt an, dass dem Tribrachys *τε δόμος* in der Antistrophe ein Daktylus entspreche, weil es dem Dichter nicht gelang, entweder dort einen Daktylus oder hier einen Tribrachys zu finden, Einfälle, die sich armselig ausnehmen."

b) secundo pede.

Pers. 1013: *ἴυζε μέλος ὁμοῦ τιθείς* ∾ **1021:** *ἐπορθίαζέ νυν γόοις,* ubi observandum est, tribracho iambum purum respondere.

Pers. 267: *τὰ πολλὰ βέλεα παμμιγῆ.* Cum in antistropha (**273**) primo pede iambus tribracho cessisset, (*ἀλίδονα*) Lachmannus *πολέα* scripsit, quod probari non posse ex eis, quae modo disseruimus, sequitur. Antistropha autem: *ἀλίδονα σώματα πολυβαφῆ* medela eget, nam nusquam iambus proceleusmatico respondere potest (*ᾰ παμμ* ∾ *μᾰτᾰ πŏλῐ*). Quare *σώματα* a Kaysero et Heimsoethio[3]) in *μέλεα* correctum est. Certe repudianda est Hermanni[4]) mensura, quam Rossbachius[5]) merito aspernatus est: amphibrachys + dochmius: *τὰ πολλά | βέλεα παμμιγῆ* ∾ *ἀλιδνά | σώματα πολυβαφῆ,* nec non Seidleri[6]), secundum quem proceleusmaticus et dochmius accipiendi sunt: *τὰ πολλά* ⏑⏑⏑⏑ ∾ *ἀλίδονα* ⏑⏑⏑⏑ *κτλ.*

Prom. 583 ∾ **604. Ag. 207** ∾ **217.**

Suppl. 773: *μέλη λιτανὰ θεοῖσι καί.* Antistrophicus versus: **781** corruptum praebet textum: *δύσφορον ἀρσενογενές,* quae verba versum non explent. Metro ac sensui consuluit Hermannus: *δύσοιστον ἀρσενογενές, οἴ,* neque vero in hac re ei assentiar, quod versu 773 *θεοῖσι λιτανά* scripsit, ut versus pedibus plane exaequarentur; responsio autem severa per vim inducta semper vitanda est. Weilium[7]) quoque miror, qui particula *καί* deleta talem versum facit exeuntem: *μέλη θεοῖσι λιτανά* ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑, quo rhythmus subito contra omnem usum abrumpitur.[8]) Alia distinctio est Wilamowitzii[9]), qui omnia uno tenore legit: *γένος γὰρ Αἰγύπτιον ὕβριν δύσφορον ἀρσενογενές* et haec verba iambicum explere versum voluit:

---

1) in editione pag. 105. — 2) aeschyl. Chorges. pag. 41. — 3) Wiederh. pag. 56. — 4) elem. pag. 262. — 5) Metr. pag. 777. — 6) ad Troad. v. 1246. — 7) edit. 1891. — 8) rectissime Oberdickius (in editione pag. 169): „was Weil giebt, ist ein völlig unmöglicher Vers." — 9) l. l. pag. 20.

⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | ⏑́ ⏑ ⏑ ⏓. Quomodo autem verba ultima inde a **δύσφορον . . . ex iambis constent, intellegere nequeo, cum ego** quidem rhythmum descendentem, ut

– ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏓
δύσφορον ἀρσενογενές

semper ex dactylo et trochaeis compositum esse putaverim, neque vero ex iambis, qui ascendunt.

c) tertio pede.

Prom. 162 ∾ 182. Sept. 973.

d) diversis pedibus.

Pers. 256: *ἄνι' ἄνια κακὰ νεόκοτα.* Hic versus, sive solus, sive cum sequente coniunctus varium in modum definitus est. Hermannus legit: *ἄνι' ἄνια νεόκοτα καὶ δάι' αἰαῖ* versumque accipit pro dochmio + dochmio hypercatalectico ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑ – – ⏑ – | –, Weckl. Zomarides de creticis duobus et dochmio hypercatalectico cogitant:

ἄνι' ἄνια | κακὰ νεόκο | τα καὶ δάι' αἰ | αῖ |
⏑́ ⏑ ⏑⏑́⏑ | ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑ – – ⏑ – | – |

Idem Engerus fecit. Dindorfius[1]) versum constare ex trochaeo et dochmio censet ⏑́ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑, Teuffelius denique has mensuras sua cumulavit, cum anacrusin disyllabam initium facere putavit et tripodiam trochaicam solutam sequi voluit. — Ego quidem dimetrum iambicum in tribrachos solutum maxime ad ea, quae dicuntur, aptum esse crediderim. Ubi primum enim nuntius cladis allatus est[2]), eximium quoddam poeta per rhythmum efficere debuit, quo animos audientium percelleret, id quod egregie per has correptas syllabas factum videmus. Quasi ictus tribrachi palpitantes animos nostros feriunt — sed iam proximo versu dolor aliqua ex parte per iambos syncopatos delenitur, et postremo per pherecrateum ad finem ducitur. Eodem modo Rossbachius[3]) versum metitur[4]), qui iure dochmiacum ab hoc loco plane abhorrere contendit. ∾ **261:** *ἦ μακρόβιοτος ὅδε γέ τις.*

Prom. 899: *ἐμοὶ δ' ὅτε μὲν ὁμαλὸς ὁ γάμος.* Primum contra Hermanni responsionem hic quoque dicendum est. Tum versum iambicum esse, omnes, quod quidem viderim, consentiunt, sed variis modis eum circumscripserunt. Ego cum Kirchhoffio, Weckleinio, Wilamowitzio[5]) dimetrum iambicum accipiam, non Weilii[6]) versum abruptum amplectar: *ἐμοὶ δ' ὅτῳ μὲν ὁμαλὸς ὁ γάμος ἄφοβος,* quo iterum syllabam desideramus.[7])

---

1) Metr. pag. 25. — 2) v. 254. — 3) Metr. pag. 777. — 4) ubi haec signa ⏑ ⏑́⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏓ certe mendo typographico laborant, cum haec potius exspectemus: ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏓́. — 5) l. l. pag. 18. — 6) edit. 1864. — 7) cf. pag. 26 ad Suppl. 773.

Ag. 465: *ταχύπορος, ἀλλὰ ταχύμορον.* De Wilamowitzii ratione iam pag. 21 ad Ag. 461 diximus. Maxime autem commemoratione digna est ratio H. Schmidtii[1]), quam in versibus distribuendis usurpavit. Legit: *ὁ θῆλυς θροῦς ἐπινέμεται ταχ. ἀλλὰ ταχ. γυν. κτλ.* Haec ratio prava nascitur ex metricorum quorundam sententia: pro trochaico versu iambicum substitui posse, et vice versa, quare utrumque genus miscetur, quod inter se minime cohaeret, ut iam pagg. 5/6 disseruimus. Falsa est anacrusis illa, quae interdum ante trochaicos locum obtinuit: ◡ : – ◡ – ◡ etc., nam iambici sunt, ut testimonia docent, quippe qui a levi syllaba incipiant. — Ceterum nostra descriptione sententiae poetae succurritur, qua tribrachi celeritatem exprimunt et verba similia certe de industria electa optime se habent.[2])

Ag. 1361: *χθονοτρεφὲς ἐδανὸν ἢ ποτόν.* Sic cum Hermanno, Weckleinio aliisque nec non cum Pickelio[3]) versus informandus est, melius, quam ut inde a *τί κακόν* usque ad *ἐδανόν* dochmium dimetrum statuamus, ac tum *ἢ ποτόν* aut creticum ducamus aut expungamus[4]), nam verba suspicione carent.[5]) ∾ **1380.**

Ch. 28 ∾ **37. Ch. 148:** *πρὸς ἔρυμα τόδε κακῶν κεδνῶν τ'.* Plerique dochmio hic quoque viam patefacere studuerunt, ut Weilius, Weckleinius, sed nullo iure, nam exemplis multis didicimus iambicos inter dochmios immisceri, etiam tetrapodias, imprimis, quae in tribrachos solutae sunt.[6]) Quare etiam **Ch. 149** *ἀπότροπον ἄγος ἀπεύχετον* eandem mensuram adhibeam, quam praeter Kirchhoffium nemo amplexus est, nisi quod Rossbachius[7]) proxime ad hanc mensuram accedit, qui tetrametrum amplexus est.

Eum. 161: *βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν* ∾ **168** *βλοσυρὸν ἀρόμενον ἄγος ἔχειν.* De pari strophici et antistrophici versus exitu cf. Christium in Metr. pag. 643.

Eum. 381: *ἄτιμ' ἀτίετα διόμεναι,* sic Canterus et Dindorfius pro *ἀτίεται* ∾ **389:** *δοθέντα τέλεον ἔπι δέ μοι.*

Sept. 762: *ἐγένετο μέλεος ἀθλίων* ∾ **769:** *ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς.* Secundum rationem, a qua in responsionibus versuum diiudicandis profecti sumus, v. 761 non cum Arnaldo et Heimsoethio *ἔγεντο* pro *ἐγένετο* legendum est.[8])

---

1) Kunstf. I, pag. 166. — 2) recte Weckleinius: „sarkastisch ist d. Gleichklang *ταχύπορος — ταχύμορος;* der schnelle *πόρος* führt zu schnellen *μόρος,*" et Schneidewinus: „bitter klingt der Anklang." — 3) l. l. pag. 183. — 4) ut Weilio edit. 1858 visum est. — 5) reiciendae quoque Hermanni (elem. pag. 280) et Seidleri (l. l. pag. 154) mensurae videntur, qui quattuor breves syllabas dochmios comitari voluerunt. — 6) cf. Ag. 1361, Eum. 161. — 7) Metr. pag. 782. — 8) de Wilamowitzii et Weilii descriptionibus iam ad v. 761 (pag. 17) diximus.

Sept. 936: *AN: μελεόπονος. ΙΣ: μελεοπαθής.* In anecdotis Chisianis[1]) haec legimus: *μετρεῖται γὰρ οὕτως· μελεό· χορεῖος· πονος· ἴαμβος. πόνος γὰρ μακρὸν διὰ τὰ δύο σύμφωνα· μελεο πάλιν χορεῖος. παθὴς πάλιν ἴαμβος· ὡραῖος*[2]) *οὗτος ὁ ἡμίιαμβος καὶ οὐ κατὰ τοὺς ἄνωθεν ἕνα χορεῖον καὶ ἕνα ἴαμβον καὶ πάλιν ἕνα χορεῖον καὶ ἕνα ἴαμβον δεχόμενος.* Unusquisque autem hanc doctrinam perversam esse intelleget neque exspectabit, me pluribus de ea disserturum esse.

Sept. 977: *AN: ὀλοὰ λέγειν. ΙΣ: ὀλοὰ δ' ὁρᾶν.* Haec quoque verba dimetrum exhibent.

Suppl. 105: *λιγέα βαρέα δακρυοπετῆ.* Bene doloris impetus per triplicem solutionem, quae etiam versu priore apparet, redditur. ∾ **114:** *ἐπίδρομ' ὁπόθι θάνατος ἀπῇ.* Sic Hermannus pro: *ἐπιδρομ ὤποθι ὀπηι,* cum Schwerdtius *ἐπίδροπ' ὅθι θάνατος ἂν ἀπῇ* coniceret, quod contra leges, quas in ictu ponendo observandas puto, facit. Apud Aeschylum enim numquam *θάνατος* (◡ ◡ ◡́) invenitur, sed aut *θάνατος* (◡́ ◡ ◡) aut *θανάτου* (◡ ◡ ‒́) aut *θανάτῳ* (◡ ◡ ‒́) aut *θάνατος* (◡ ◡́ ◡).

Suppl. 131 ∾ **141. Suppl. 774:** *τέλεα δέ πως, πελόμενά μοι. μοι,* quod post *δέ* insertum erat, Paleyius recte removit, nam antistropha (782): *μετά με δρόμοισι διόμενοι* praebet.

Suppl. 775: *λύσιμα· μάχαν* (sic Hermannus pro *μάχιμα*) *δ' ἔπιδε, πάτερ.* Scilicet post *λύσιμα* semicolo interpungendum est. ∾ **783:** *φυγάδα μάταισι πολυθρόοις.*

Suppl. 821 sitne inter hos versus referendus, ambiguum est; fortasse, si cum Hermanno scribimus: *ἀτίετος ἀνὰ πόλιν ἀσεβῶν* ∾ **833:** *πρόκακα πάθ' ὀλόμενε παλάμαις* dimeter iambicus exit, sed nihil certi statuisse malo, quam nimia fiducia textum restituisse mihi videri.

β) spondei pro iambo positi.

a) primo pede.

Pers. 546: *νῦν δὴ πρόπασα μὲν στένει. γάρ,* quod post *νῦν* in M. legebatur, propter antistropham: **556:** *πεζούς τε καὶ θαλασσίους* recte eiecit Porsonus, nam initium huius strophae ex iambis constare persuasum habeo, qui numerus etiam in sequentibus principatum obtinet, nam hi versus sine dubio non trochaici sunt, ut Westph. — Gleditschio[3]) et Bergkio[4]) visum est.[5]) Hermannus et Rossbachius[6]) nostro versu Medicei scripturam tuentur et de pentapodia trochaica

---

1) pag. 25 ed. Mangelsdorffius. — 2) quomodo explices illud *ὡραῖον,* vide Amselium in diss. Vratisl. I, pag. 68. — 3) „Theorie d. griech. Metr.“ pag. 333. — 4) cf. Rossb. Metr. pag. 207. — 5) cf. Heimsoethium (Wiederh. pag. 351): „der Anfang muss iambisch sein, schweriambisch ist er beim Klagelied gebildet; der natürliche Anfang des mit diesen Worten beginnenden Gesanges ist *νῦν δή.*“ — 6) Metr. pag. 200.

cogitant, ita ut initium strophae similis fiat Ag. 149: *Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐ* —, sed ibi quattuor trochaici, tum versus dactylicus iterumque trochaicus sequuntur, rhythmus igitur, qui per totam stropham sonat, descendens est, hic autem poeta quattuor iambicos se excipere voluit. *γάρ* igitur tollendum est.[1])

Pers. 547: *γαῖ' Ἀσὶς ἐκκενουμένα.* Dimetrum iambicum Blomfieldius restituit, qui pro *Ἀσιάς* formam *Ἀσίς*[2]) induxit, quae coniectura Dindorfium[3]) fautorem invenit. ∾ **557:** *ὁμόπτεροι κυανώπιδες,* ubi Brunckium secutus *αἱ δ'* ex textu relegaverim; in *κυανώπιδες,* quod per synizesin legendum est, nulla offensio inest, quare Dindorfii[4]) *νῦν δὲ κυανώπιδες* reiciendum videtur. — Quamquam exempla, quibus *κυανώπιδες* probatur, non inveni.[5])

Pers. 548: *Ξέρξης μὲν ἄγαγεν, ποποῖ.* Hic quoque *γάρ,* quod post *μέν* locum occupavit, iure a Porsono expulsum est. ∾ **558.**

Pers. 549: *Ξέρξης δ' ἀπώλεσεν, τοτοῖ* ∾ **559:** *νᾶες δ' ἀπώλεσαν, τοτοῖ.* Observes responsionem elegantem, quae et in versuum et in verborum delectu apparet.[6])

Pers. 1039. Ag. 1117: *καὶ παῖς νεογνὸς ἂν μάθοι.* Librorum *νεογνὸς ἀνθρώπων μάθοι* Hermannus in *καὶ π. νεόγονος ἂν μ.* correxit, ego autem severa responsione neglecta *νεογνός* praetulerim. Hoc certum est, desiderari dimetrum iambicum, qualem antistropha ostendit: **1128:** *καὶ τίς σε κακοφρονῶν τίθη-*| (*σι*), ubi ab omnibus editoribus et metricis iambos acceptos video[7]), praeterquam, quod Weilius ex antistrophico versu collegit, alteram versus partem fuisse dochmium: *κακοφρονῶν τίθη-* Sed hic versus iambicam naturam aperte prae se fert, ut de metro nullus restet scrupulus.

Eum. 380 ∾ **388. Sept. 719:** *καὶ γαῖα κόνις πίῃ.* Metri causa pro tradito *χθονία* Hermannus *γαῖα* recepit, nam, ut v. **727:** *αἰῶνα δ' ἐς τρίτον μένει,* et versus sequentes docent, dimetro iambico, non glyconeo _ ◡ ◡ _ ◡ _ ◡ _ suffragandum est. Neque hic cum Wilamowitzio faciam[8]), qui in antistropha *παλαιγενῆ* — usque ad *ὠκύποι* | tum *νον αἰῶνα* — usque ad *Λάϊος* legit, quare omnes incisiones silentio praeterit nec moras retinet, quae e versuum distributione vulgo facta apparent.

Sept. 946: *ἐντὸς δὲ καρδία στένει* ∾ **962:** *ἐδείξατ' ἐκ φυγᾶς ἐμοί.* In utroque versu tam clare iambicum ingenium effulget, ut nesciam, qua de causa Weilius trochaeis magis faverit, scribens: *ἐν δὲ καρδία στένει* ∾ *τὸν δ' ἐδέξατ' ἐκ φυγᾶς.*

---

1) Dindorfius (äsch. Chorges. pag. 16) *δή* sustulit. — 2) cf. v. 268 et 754. — 3) äsch. Chorges. pag. 17. — 4) l. l. pag. 20. — 5) cf. Christium in Metr. pag. 30 (ubi pro „Sept." legas „Pers") qui ibi Luciani epigramma 39 laudavit (in utraque editione) quod ego quidem detegere non potui, quamquam diu lateque quaesivi. — 6) de qua re monuit Jacobius in „de aequal. stroph. et antistr. respons. conform." pag. 47. — 7) cf. Seidlerum l. l. pag. 120. — 8) l. l. pag. 26.

Suppl. 58: *κιρκηλάτας ἀηδόνος. M: κιρκηλάτου τ' ἀηδονῆς;* hoc Turnebus, illud Hermannus correxit. ∾ **63.**

Suppl. 758: *ἤ λισσὰς αἰγίλιψ ἀπρόσ-¦ (δεικτος).* Christius[1]) verba inde ab *ἤ* usque ad *κρέμας* uno tenore legit[2]) et post particulam, quae anacrusis sit, rhythmum trochaicum incipere voluit. Sed, etsi arridere alicui potest haec opinio de anacrusi, qua animi audientium praeparentur[3]), tamen cauti esse critici existimo, anacrusin in versu iambico haud ambabus manibus accipere. Nam si hic anacrusin statuimus, ubique eam amplecti licet, donec[4]) omnes iambi trochaei anacrusi praediti explicentur. Quaenam autem ratio inter utrumque genus in veterum poesi intercedat, pagg. 5/6 disseruimus. ∾ **766.**

b) altero pede spondeus non occurrit, quae causa fuit, cur **Ch. 374:** *ἐφυμνῆσαι γένοιτό μοι* non in dimetrorum numerum asciverim, sed in pentapodiarum syncopatarum.[5])

c) tertio pede.

Pers. 278: *ἴυζ' αποτμον δαΐοις.* Traditum est: *ἴυζε ἄποτμον βοάν,* versu respondente **284:** *στυγναί γ' Ἀθῆναι δαΐοις.* Possis vero versus exaequare, si legis *στυγναί γ' Ἀθῆναι δάοις,* itaque dimetrum iambicum syncopatum accipis ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑̄ –, talem autem versum in Aeschylo frustra quaeres, quod inde originem ducit, quod versus pessime sonat propter spondeum in quarto pede. Censeam igitur cum Hermanno, in stropha potius vitium latere, et praeferam *ἴυζ' ἄποτμον δαΐοις* recepto illo *δαΐοις,* quod v. 280 legitur. — Quomodo ceteri versus restituendi sint, loco suo disseretur.

Eum. 254: *ὁ δ' αὖτέ γ' οὖν ἀλκὰν ἔχων.* Iterum dimeter inter dochmios exstitit, quem Weckleinius minime in trimetrum iambicum redigere debebat[6]), cum dimeter optima valetudine floreret.[7]) Nec cum Hermanno[8]) illud *οὖν* expungam, nec cum Kirchhoffio aliisque *περὶ βρέτει* ad dimetrum adiungam, ut trimeter fiat, nam, ut Weilius recte annotavit, raro apud poetas Atticos vocalis brevis ante *βρ* producitur.[9])

Sept. 763: *γάμων ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν* ∾ **770:** *αἰαῖ πικρογλώσσους ἀράς.* De Weilii et Wilamowitzii[10]) descriptionibus cf. pag. 17.

Sept. 947: *ἰὼ ἰώ, πάνδυρτε, σύ* (sic Ritschelius; an rectius,

1) Metr. pag. 611. — 2) quam rationem etiam Wilamowitzius (l. l. pag. 20) amplexus est. — 3) Christius dicit: „die einfachste Art, die Periode einzuleiten, bestand in dem Vorschlage eines Auftaktes.“ — 4) ut in Weckl. — Zomaridis editione re vera factum est. — 5) de qua re cf. cap. II. — 6) *ὁ δ' αὖτε γουνὸν ζάθεον ὡς ἀλκὴν ἔχων.* — 7) cf. Rossbachium in „de Eum. antichoriis“ pag. 12: „non enim habet haec forma: ⏑ – ⏑ – ⏑̄ – ⏑ – in canticis dochmiacis quidquam offensionis.“ — 8) opusc. VI, pag. 49. — 9) cf. Suppl. 414; 446, Sept. 194. — 10) l. l. pag. 28.

Hermannus: ἰὼ ἰώ, δακρυτέ, σύ?). ∾ 962: οὐδ' ἴκεθ' ὡς κατέκτανεν. Reiterus[1]) primo ἰώ cum Blomfieldio expuncto tradita tenet, ut dimeter syncopatus non syncopato respondeat: ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⏓

∾ ⏑̄ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓

Sed ne hic quidem mutationes Hermanni vel Ritschelii tantas difficultates praebent, ut reiciendae sint.

Sept. 976. Suppl. 542: *ἐπέρχεται Τυφῶ μένος.* Plerique editorum *ἐπέρχεται* ad versum antecedentem transtulerunt et verba inde a *Τυφῶ* — usque ad *νόσοις ἄθικτον* continuaverunt, ut tetrameter iambicus fieret, ut Heimsoethius[2]), qui, ne descriptione sua metrum laederet, coactus erat, post *μένος* inserere *θ'*, deinde Weilius[3]), qui proposuit: *Τυφῶ μένος, γάνος τὸ Νείλου κτλ.;* editione 1891: *Τ. μένος χ' ὕδωρ τ. Ν.* . ., postremo Kirchhoffius, qui versum traditum retinuit metricam nihil curans: *μένος ὕδωρ.* Alii, ut Hermannus et Weckleinius dipodiam iambicam *Τυφῶ μένος* | statuunt, quam Schmidtius[4]) defendit, quod in Typhone nominando admiratio moveatur. Sed exempla dipodiarum, quae sub I B collegimus, hanc dipodiam non probant.[5]) Versus rectos Oberdickius statuisse videtur, qui verba *ἐπέρχεται* usque ad *μένος* comprehendit[6]); verbum enim *ἐπέρχεται* arte cum *Τυφῶ μένος* cohaeret, ut utrumque in eundem versum redigendum sit.[7]) ∾ 550 *μιξόμβροτον, τὰν μὲν βοός.* Hac in re autem Oberdickio assentiri non possum, quod, cum hic primus pes spondeus sit, etiam strophicum versum hoc spondeo ornare studuit, scribens: *εἰςέρχεται.*

Suppl. 557: *δύα δ' ἀπημάντῳ σθένει. Μ: βία;* corr. Hermannus. ∾ **564:** *φυσίζοον γένος τόδε,* ubi tertius pes non per spondeum expressus est, quod Krusius[8]) bene observavit.

d) diversis pedibus spondeus admittitur:

Prom. 562: *εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς,* Quomodo de hoc versu cum proximo coniuncto iudicandum sit, ad v. 563 (pag. 8) exposuimus.

γ) diversi pedes, qui non puri iambi sunt.

Duo genera distinguenda sunt:

---

1) l. l. pag. 150. — 2) Wiederh. pag. 287. — 3) edit. 1866. — 4) Kunstf. I, pag. 291. — 5) cf. pag. 23. — 6) in syllaba ancipiti, quae fine versus versatur: *μένος* | *ὕδωρ*, nihil offensionis inest; cf. Pers. 980/81: *δαίμονες* | *ἔθεσθ'* Sept. 986/87: *χθονός* | *ἰώ* Ch. 393/94: *τυραννίδες* | *ἴδετε.* Suppl. 123/24: *δορός* | *ἀχείματον.* — 7) quod etiam Bernhardi (l. l. pag. 8) intellexit, qui, etsi versum secundum Weilii coniecturam legit, tamen haec addidit: „quamquam in utraque stropha levis sententiae incisio suadet, ut primam dipodiam (*Τυφῶ μένος*) cum antecedente versu iungamus.“ — 8) in editione pag. 136.

a) Tribrachys et spondeus in uno versu.

Sept. 154: *πόλιν δορίπονον μὴ προδῶθ'*
⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ – – ⏑́ –

Versum hac specie indutum esse ex simplicissima strophae descriptione sequitur:

⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ – *ἰὼ παναρκεῖς θεοί*
⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ ⌴ – ⏑ – *ἰὼ τέλειοι, τέλειαί τε γᾶς*
– ⏑ ⌴ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏓ *τᾶςδε πυργοφύλακες*
⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑̄ – ⏑ – *πόλιν δοριπ. μ. πρ.*

Neque vero de Hermanni circumscriptione idem potest dici:

⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ – *ἰὼ παναλκεῖς θεοί*
⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ ⌴ – ⏑ ⌴ – ⏑ – *ἰὼ τελ. τελ. τε γ. τᾶςδε π.*
⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑̄ – ⏑ – *γοφ. πολ. δορ. μ. πρ.*

ubi, quomodo tertius versus explicandus sit, haesito.[1]) Multo melius in tradita descriptione ultimo versu iambicus rhythmus excipitur, cum preces ipsae proferantur: „nolite urbem per hastas hostium oppressam prodere," ubi iambicus rhythmus, quippe qui a levi syllaba incipiat, verba altius effert, quam per trochaeos fieri potuit. ∾ **161:** *μέλεσθε δ' ἱερῶν δημίων.*

Sept. 737: *σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη.* Hunc versum Wilamo-
– – ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –

witzius[2]) cum sequente coniunctum dimetrum iambicum + pherecrateum nominat — hic igitur pherecrateum non respuit, cum antea iambicum anaclomenon statuisset.[3]) ∾ **745** *μεταξὺ δ' ἀλκὰν δι' ὀλίγου.* Alii pedes hic obviam fiunt: pro spondeo purus iambus exstitit, pro tribracho dactylus, id quod Heimsoethius[4]) delevit scribens: *ἀλκὰ μεταξὺ δι' ὀ.*

Suppl. 542: *λειμῶνα χιονόβοσκον, ὅντ'.* De versu et eis, qui
– – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ –

sequuntur quomodo optime definiendi videantur, iam pag. 32 annotavimus. ∾ **550:** *βοτὸν ἐσορῶντες δυσχερές,* ubi iterum alii pedes atque in stropha a poeta adhibiti sunt, neque vero haec causa est, cur cum Heimsoethio (*βόσκημ' ἀπόχαρι δυσχερές*) vel Hartungio (*σῶμ' εἰσορῶντες δυσχερές*) vel Hermanno (*βοτὸν κακόχαρι δυσχερές*) mutemus. Jure optimo Engerus et Krusius versum defenderunt, nam ictus in ultima correpta syllaba his excusatur exemplis: Eum. 161, Sept. 936, Suppl. 782.

Suppl. 772: *ἴυζε δ' ὀμφὰν οὐράνια* ∾ **780:** *γένος γὰρ Αἰγύπτιον ὕβριν.* Scilicet etiam hic versus strophicus responsionis causae mutationibus satis donatus est[5]), sed ipse tribrachys in verbo *οὐράνιᾰ*

1) utrum creticus + dim. iamb., an trochaei, an dochmius + duo cretici (⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ – | ⏑́ ⏑ ⏑ – | – ⏑ –) accipiendi sint, nescio. — 2) l. l. pag. 27. — 3) cf. pag. 11. — 4) Wiederh. pag. 265. — 5) Dindorfius: *ὀρανίαν,* Peiperus: *οὐρίαν,* Oberdickius: *οὐρανῷ,* Weckleinius: *ὀρθίαν.*

preces sursum ad caelum ferri bene explanat; infra capite IV exemplis monstrabitur tribracho saepius motum, qui sursum fit, depictum esse.[1])

b) Tribrachys et dactylus.

Ag. 1045: *αὐτοφόνα κακὰ καράτομα;* sic Kayserus pro tradito *κακὰ κἀρτάναι.*[2]) Metrum autem, quod Dindorfius accepit (paeonem + dochmium) probabile non est, versus potius dim. iamb. est[3]) ∾ **1050:** *κλαιόμενα τάδε βρέφη σφαγάς.*

Sept. 142: *ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;* Finitur stropha per iambicum dimetrum, qui minime cum Dindorfio[4]) in dochmium mutandus erat: *ποῖ δὲ τέλος προβὰς | ἐπάξει θεός,* neque cum Hermanno[5]) et Seidlero[6]) creticus ante dochmium accipiendus: *ποῖ δ' ἔτι τέ | λος ἐπάγει θεός,* aut, ut Seidlerus legit: *ποῖ δὲ τέλος* – ⏑ ⏑́ ⏑ *ἔτ' ἐπ. θ.* — Similiter Eum. 161 stropha, quae eadem e iambicis et dochmiis constat, per dimetrum iambicum solutum clauditur. ∾ **150:** *ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύον.*

C) iambi syncopati.

α) syncope in altero pede.

Ag. 211: *ἔτλα δ' οὖν θυτὴρ γενέσ-|* Priusquam ad versum defendendum accedamus, iuvabit, versuum formas proferre, quas viri docti statuerunt. Hermannus legit: *ἐτλ. δ' οὖν θυτ. γεν. θυγ.* Dindorfius: *πρωτοπ. ἔτλ. δ' οὖν θυτήρ | γεν. γυναικοποίνων πολέμων ἀρωγάν.* Engerus: *-τοπήμ. ἔτλ. δ' οὖν | θυτ. γεν. θυγ.* Rossbachius[7]) *τάλ.* — *ἔτλ. δ' οὖν θυτ. γεν.* — *πολ.* Schmidtius[8]) *πρωτοπ. ἔτλ. δ'. θυτ. | γεν. θυγ.* quam distinctionem Bernhardi[9]) laudat. Harum autem descriptionum nullam mihi placuisse profiteor; sequar potius Weilium, Kirchhoffium, Weckleinium (in Orestia) versusque sic definiam, ut ordo quidam et rhythmus, qui cum sententiis conspiret, oriatur. Versum 210 verbis *τάλαινα* usque ad *πρωτοπ.* propter *τονήν* contineri capite III monstrabitur, nostro autem versu iambi fastigium ascendunt, quo *τονή* (littera *ᾰ́*) et ictus in *θυτήρ* rectissimo loco versantur. Summa enim huius strophae certe haec fuit, Agamemnona animum induxisse, filiam immolare, quod dimetro per *τονήν; ἔτλα δ' οὖν* ⏑ ⏗ ⏊ bene illustratur. Quo facto rhythmo paullatim descendente causa affertur, qua perductus Agamemnon filiam sacrificari iusserit. Itaque hic quoque ex eis, quibus poeta usus est verbis, versus describendi erant, et lex illa aurea iterum ante oculos ver-

1) cf. etiam illud Anacreontis *ἀναπέτομαι* (ap. Hillerum frgm. 22). — 2) Dindorfius: *κακὰ κακ' ἀρτάναι.* — 3) cf. Seidl. l. l. 173. — 4) Metr. pag. 13. — 5) elem. pag. 268. — 6) l. l. pag. 124. — 7) Metr. pag. 266. — 8) Kunstf. I, pag. 256. — 9) l. l. pag. 8, ubi affirmat, Schmidtium unum recte locum constituisse.

sabatur: per iambos affectum crescere, per trochaeos et logaoedicos fere semper minui et placari. — Quae Wilamowitzius de versibus distribuendis cogitaverit, ex antistrophico versu, quem l. l. pag. 5 ascripsit, cognosci potest.

∾ **221:** *προνωπῆ λαβεῖν ἀερ_*, ubi iterum *τονή* provinciam bene administrat, nam, ut capite V videbimus, cum in aliis verbis, tum in eis collocata est, quae notionem extendendi comprehendunt, quod huic loco bene convenit, nam ubi primum versum recte pronuntiavimus, subito puella illa prona ante oculos versatur, quam ministri apprehenderunt.

Ch. 74: *δακρύω δ' ὑφ' εἱμάτων* quae verba ab antecedentibus segreganda erant, cum ex his verbis *στύγος κρατούσῃ. δακρύω δ' ὑφ' εἱμάτων* nullum probabile metrum expedire possim.[1]) Quare *στύγος κρατούσῃ* ad versum priorem traham, et verba, quae restant, dimetrum iambicum syncopatum reddere crediderim, quam mensuram etiam a Weilio[2]), Weckleinio[3]), Schmidtio[4]) adhibitam video.[5])

Sept. 750: *βαρεῖαι καταλλαγαί.* Hermannus in editione miro modo ad hunc versum *τὰ δ' ὀλοά* ex sequente apposuit, eo consilio, ut dimeter dochmiacus evaderet _ ∪ _ | ∪ _ ∪́ ∪ ∪ ∪́, in elementis[6]) versum *βαρ. κατ.* constare ex dochmio + iambo censuit. Dindorfius[7]) versum inter baccheos diiambo auctos numerat: ∪ _ _ | ∪ _ ∪ _ Nos autem *τονῇ* illa ab inferis revocata non ignoramus, de dimetro syncopato cogitandum esse.[8]) ∾ **756:** *ξένοι καὶ ξυνέστιοι. ξένοι:* Paleyius *M: θεοί.* Sollemnem formam versus Wilamowitzius ne hic quidem retinuit[9]), uno tenore legens: *θεοὶ* (quod per synizesin legi iubet) *καὶ συνέστιοι πόλεος ὁ πολύβοτος.*

Suppl. 124/25: *πνοαῖς· οὐδὲ μέμφομαι.* Dimetros iambicos contra usum sollemnem nos cum Oberdickio praeferre iam pag. 25 docuimus, neque vero in hoc ab eius partibus stare possum, quod *πνοιαῖσιν* proposuit.[10]) Nam *πνοαῖς* (*τονή* in *αῖς*) leges metricas violare ego quidem persuadere mihi non potui. ∾ **135** (*Ἄρ*) *τεμις παντὶ δὲ σθένει*, ubi *Ἄρτεμις* Hermanno debetur (tradit.: *ἀσφαλές*).

Suppl. 125/26: *τελευτὰς δ' ἂν ἐν χρόνῳ. ἂν* ab Hermanno additum est, ut versus antistrophico, qui quocunque modo legitur, dimetrum iamb. exhibet, par fieret. Difficile autem est dictu, utrum

---

1) quod etiam in hunc versum: *κρατούσῃ δακρύω δ' ὑφ' εἱμάτων:* ∪ ⌞_ _ ∪ ⌞_ _ ∪ _ ∪ _ cadit, qui ab usu sollemni recedit, nam trimeter 2. 4. pede syncop. alibi non legitur. — 2) nov. edit. — 3) in Orestia. — 4) Kunstf. I, pag. 210. — 5) recte, nam *δάκρυῶ*, non *δάκρῠῶ* legendum esse commemoravit Rossbachius in „de Choeph. locis nonnullis comment." pag. 8. Ceterum cf. Ag. 70. — 6) pag. 256. — 7) de metr. poet. scaenic. pag. 40. — 8) cf. Bernhardium l. l. pag. 4. — 9) l. l. pag. 27. — 10) „des Metrums wegen", ut in appendice critica annotavit.

strophicus versus antistrophico an hic illi exaequetur, quoniam utraque forma occurrit ⏑ └─ – ⏑ – ⏑ – et ⏑ └─ └─ – ⏑ –, et indicia certa desunt, quibus nixi huic vel illi speciei palmam demus. Etiam versu respondente 135/36 quo me vertam nescio, nisi quod hoc unum constat, verbum *ἀσφαλέας* corruptum esse, sed utrum rectius sit, dimetrum altero pede sync. *διωγμοῖσι* – ⏑ – an dimetrum altero et
⏑ └─ – ⏑ – ⏑ –
tertio pede sync.: *διωγμοῖς* – ⏑ – statuere, diiudicari nequit.
⏑ └─ └─ – ⏑ –

b) syncope in tertio pede.

Pers. 978 ∾ **984.**

Pers. 980: *ἰὼ ἰώ, δαίμονες* ∾ **986:** *Ἰαόνων ναυβατᾶν.* Reiterus ex consuetudine sua[1]) *Ἰάνων* Medicei retinuit, quod *τονάς* non eodem versus loco redire oportere credebat. Sed nihil interest, scribamusne *Ἰαόνων* an *Ἰάνων*, nam utraque forma pariter adhibetur, hic autem cur responsionem neglegamus nihil causae video. Praeterea accepto *Ἰαόνων* versus melius currit. Similiter res infra V. 998 se habet; cur ibi contra *M. Ἰάνων* praeferendum sit, loco suo explanabitur.

Pers. 981: *ἔθεσθ' ἄελπτον κακόν.* Scriptura quidem codicum haec est: *ἔθετ'*, sed ut antistropha **987:** *κύρσαντες οὐκ εὐτυχῶς*, tum autem metrorum in hac stropha usurpatorum conexus docet, cum Schneidero *ἔθεσθ'* legendum est.[2]) Reiterus[3]) autem non dubitat, talem proferre responsionem:

ἔθετ' ἄελπτον κακόν ⏑́ ⏑ ⏑ └─ – ⏑ ⏒
∾ *κύρσ. οὐκ εὐτ.* ⏑̄ – ⏑ └─ – ⏑ –

Versum trochaicum autem iambico respondere non posse, pag. 5/6 monuimus.

Ag. 132: *τόσον περ ευφρων, καλά,* ubi *M: τόσσων* ab editoribus recte in *τόσον* emendatum est. Metro prorsus satisfactum est, quare supervacaneum fuit, cum Hartungio ante *καλά* articulum *ἁ* inserere, ut dimeter non syncopatus existeret, quod Schmidtius[4]) probavit, aut cum Weckleinio[5]) suspicari, versum ab initio hanc habuisse speciem: *τόσον περ εὔφρον, ὦ καλὰ Διὸς κόρα.*

Ag. 230 ∾ **240. Ag. 358** ∾ **375.**

Ag. 359: *πατοῖθ'. ὃ δ' οὐκ εὐσεβής* ∾ **376:** *τρίβῳ τε καὶ προσβολαῖς.* Responsionis causa Triclinius *τε* addiderat, sed Reiterus[6]) in textu tradito tam lente inhaesit, ut haec sibi respondere velit:
⏑ – ⏑ └─ – ⏑ – Sed particula *τε* saepissime in codicibus omittitur,
∾ ⏑ └─ └─ – ⏑ – ut mutatio Triclinii haud insolita sit.

Ag. 422 ∾ **439. Ag. 423** ∾ **440.**

---

1) l. l. pag. 173. — 2) Hermannus: *δαίμονες* | *ἔθεντ'*, Weilius: *δαιμόνων* | *θέντων.* — 3) l. l. pag. 173. — 4) Kunstf. I, pag. 148. — 5) in Orestia. — 6) l. l. pag. 154.

Ag. 454: *πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου.* Nos in hoc epodico describendo ad Kirchhoffium, Hermannum, Engerum, Bernhardium[1]) potius nos applicavimus, idque a dimetro incipere censemus, non tam longo colo, ut Wilamowitzius et ante eum iam Otfr. Muellerus, voluerunt, cuius distinctionem iure reprehendit Hermannus.[2])

Ag. 455: *πόλιν διήκει θοά.* Dimetrum, qui per se neminem laedere potest, Keckius exstinxit verbis *πρὸς Ἴλιον* additis.[3]) Sed secundum hanc rationem rhythmum haerere et interrumpi facile aliquis sentiet.

Ag. 459. Ag. 462.

Ag. 1078: *ταχεῖα δ' ἄ̈τα πέλει.* Non cum Weilio et Weckleinio verba *δύντος αὐγαῖς* huic versui praemittam:

δύντος αὐγαῖς ταχεῖα δ' ἄ̈τα πέλει, quod haec ipsa dimetrorum

‒ ◡ ⌴ ‒ ◡ ‒ | ◡ ‒ ‒ ◡ ‒ species: ◡ ‒ ◡ ⌴ ‒ ◡ ‒ saepius in
(dim. troch). (dochmius)

dochmiacis versibus occurrere solet.[4]) Huc accedit, quod hic dimeter stropham bene claudit, et *τονή* in verbo *ἄ̈-τα* posita praeclare cum Aeschyleo usu congruit.[5]) ∾ **1089:** *φόβον φέρουσιν μαθεῖν.*

Ch. 72: *πρέποντ' ἀπ' ἀρχᾶς βίον,* quem versum assequimur, si traditum *ἀρχάς* cum Weilio in *ἀπ' ἀρχᾶς* corrigimus.[6]) Heimsoethio[7]) haec descriptio non placuit neque vero causas, quas contra protulit probare possum, nec Schmidtii[8]) rationem amplectar, qui *πρέποντ' ἀρχέταν βίου* scripsit, neque Hermanni, qui trimetrum: *δίκαια καὶ μὴ 'μαῖς πρέπον τύχαις βίου* statuit, nam variatio sententiarum variationem metrorum postulat.[9])

Ch. 396 ∾ **409.**

Ch. 417: *ἰὼ ἰώ, δαΐα* ∾ **438:** ◡ ‒ *δι' ὤ̈των δὲ συν-(τέτραινε)* Quomodo lacuna, quae propter metricam statuenda erit, explenda sit, difficile est dictu; nihil aliud statuam, quam pedem primum excidisse eodem modo, quo versu priore iambus sub finem evanuit. (cf. Hermannum: „quid exciderit, dici non potest.“[10]) Nec cum Paleyio

---

1) l. l. pag. 6. — 2) opusc. VI, pag. 46. — 3) cf. edit. pag. 288: „hier fehlt also zur Herstellung völliger Symmetrie nach *θοά* eine iambische Dipodie. Aber dass hier eine Lücke in den Codd. ist, muss man auch ohne die Erinnerung von seiten des Rhythmus fühlen.“ — 4) cf. Ch. 932, Eum. 258. — 5) cf. caput V. — 6) cf. schol. alterum: „*ἐξόθεν τοῦτο ἐπανῄρημαι τὸν βίον.* — 7) Wiederh. pag. 292. — 8) Kunstf. I, pag. 210. — 9) cf. caput III — 10) videre autem hoc exemplo licet, in quas ineptias Reiteriana illa ratio incidere possit. Reiterus enim (l. l. pag. 157) nullam neque hoc neque antecedente versu lacunam statuit, sed trimetrum iambicum sic legit: *τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσσίν* | dimetrum: *γράφον δι' ὤ̈των δὲ συν-:* ◡ ⏊ ◡ ⌴ ⌴ ⌴ ⌴ ⏑́, quem turpissimum versum tantum alios praecedere dicit, ut nihil perfectius possit cogitari. Ego autem hanc praestantiam sentire non possum, malo autem cum eis lacunam statuere, qui meliori

versu strophico alterum *ἰώ* exstirpaverim, nam, ut numeri totius strophae indicant, solis iambicis hic locus est neque vero uni dochmio inserto.

Ch. 419 ∾ **440. Ch. 420** ∾ **441.**

Ch. 424 ∾ **429. Ch. 425** ∾ **430.**

Ch. 618: *θεοστυγήτῳ δ' ἄγει* ∾ **610** *ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ*. Stropham recte post antistropham posuit Preussius.

Eum. 258: *δυσαγκόμιστον, παπαῖ,* quem versum Dindorfius[1]) in iambico-trochaicis numerat ⏑ – ⏑ – | – ⏑ –, quam rationem non probandam esse iam saepius vidimus.

Eum. 377: *μένει γάρ· εὐμήχανοι.* Miri profecto versus ex sententia Dindorfii[2]) prodierunt, qui inde a *μένει* usque ad *σεμναί* verba coniunxit et de „iambico cretico duplici cum ischiorrhogico" cogitavit. Haec opinio nunc quidem arma posuit, nam versus dimetros iambicos esse scimus, qui post paeones quartos bene ad leniorem quae sequitur sententiam quadrant, cum sine solutionibus, immo *τοναῖς* praediti rhythmum severum servent. Imprimis initio: „manet firmum hoc"[3]) iambicus rhythmus maiestatem optime depingit. ∾ **385.**

Eum. 378 ∾ **386. Sept. 151:** *ἰὼ παναρκεῖς θεοί.* Cum hic versus ac sequens pari verbo inciperent: *ἰὼ παναρκ. ἰὼ τέλειοι*, nostro versu dimetro magis faverim, quam dochmio iambo praemisso, ut Seidlerus[4]) voluit. ∾ **158:** *ἰὼ φίλοι δαίμονες.*[5])

Sept. 273: *τὸν ἀμφιτειχῆ λεών* ∾ **290:** *ὕδωρ τε Διρκαῖον εὐ-* Sitne cum hoc versu sequens coniungendus:

274: *δράκοντας, ὥς τις τέκνων* ∾ **291** — *τραφέστατον πωμάτων*, ut tetrameter tertio et septimo pede sync. exsistat[6]), diiudicare non ausim, de qua re iam pag. 23 docuimus. In medio rem relinquere hic quoque coactus sum, cum certa indicia desint.

Sept. 717: *ἐπειδὰν αὐτοκτόνως* ∾ **725** *παλαιγενῆ γὰρ λέγω.* Wilamowitzius verba usque ad *ὠκύποινον*[7]) non interrumpi voluit iambicumque versum ea efficere credit, nihil curans verba *παρβασίαν ὠκύποινον* ∾ *αὐτοδάϊκτοι θάνωσιν* – ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ rhythmum descendentem praebere.[8])

Sept. 721 ∾ **729.**

Sept. 722: *τίς ἂν σφε λούσειεν; ὦ.* Weckleinius-Zomarides de duobus trimetris cogitaverunt: *τίς ἂν σφε-δόμων | νέοι π. συμμ. κακ.,*

---

rhythmo viam aperiunt, quam cum Reitero traditis fidem praestare et versum plane aversum ab usu sollemni recipere. — Recte de hac re iudicavit R. Klotzius in „Berlin. philol. Wochenschr." IX, pag. 276. — 1) Metr. pag. 52. — 2) Metr. pag. 55. — 3) sic enim interpretandum est; cf. Hermannum in opusc. VI, 2, pag. 74. — 4) l. l. pag. 115. — 5) de eodem verbo initio versus strophici et antistrophici monuit Christius in Metr. pag. 642. — 6) ut Weilius fecit. — 7) l. l. pag. 26. — 8) cf. ad v. 719 pag. 30.

sed dimetri magis ad speciem totius strophae quadrant, qui per iambicum versum finiuntur. Imprimis hoc Aeschylum sapit, duos versus eiusdem formae eodem incipere verbo: *τίς ἂν καθαρμ·* / *τίς ἂν σφε.* [1] ∾ 730: *μεσομφάλοις Πυθικοῖς.*

Sept. 817: *ἔτευξα τύμβῳ μέλος* fortasse idem huc spectat, nisi forte cum sequente versu coniunctus tetrametrum efficit, -sed hic quoque iudicium differo. ∾ 825: *μέριμνα δ' ἀμφὶ πτόλιν.*

Sept. 853 ∾ 859.

Sept. 866: *τετυμμένοι δῆθ' ὁμο* |- ∾ 877: *στένουσι πύργοι, στένει.* Intellegere non possum, quo iure Weckl. — Zomarides a sollemni more recesserint et tripodiam: *τετυμμένοι δῆθ'*, tum pentapodiam: *ὁμοσπλάγχνων τε πλευρωμάτων* statuerint. Nam ipsi dimetri syncopati in canticis, quibus querelae[2]) effunduntur, a poeta adhibentur, ita, ut bini se excipiant. Praeterea in antistropha similem versuum exitum: *στένει* et *μένει* non casu accidisse crediderim.

Sept. 867 ∾ 878. Sept. 890 ∾ 901. Sept. 891 ∾ 902.

Sept. 911: *διαρταμαῖς οὐ φίλαις.* Codd. trochaeos: *διατομαῖς οὐ φίλαις* ◡́ ◡ ◡ ⊔ – ◡ ⊔ Schuetzius et Dindorfius amplexi sunt in antistropha 923 pro *διοσδότων* legentes *διοδότων.* Sed verbum *διόσδοτος* minime per aliam vocem, quae alibi non occurrit, ut *διόδοτος*, eiciendum erat, cum ipsum apud Aeschylum[3]) *διόσδοτος* bis legatur.[4]) In initio igitur antistrophae nihil inest, quod offensionem moveat, quare iambico locum esse arbitror et in stropha cum Hermanno *διαρταμαῖς* scribendum esse.[5]) Repulsam autem Reiteri opinio ferat[6]), qui ne hic quidem non dubitat, traditam lectionem defendere ac versus statuere, qui nusquam sibi respondere possunt.

διατομαῖς οὐ φ. ◡́ ◡ ◡ ⊔ – ◡ –
διοσδότων ἀχθέων ◡ – ◡ ⊔ – ◡ –.

Sept. 917 ∾ 929.

Sept. 920: *κακὸς δατητὰς Ἄρης.* Weckl. — Zomarides hic a more solito deflexerunt scribentes: *κακ. δατ. Ἄρ. ἀρὰν πατρῴ* | *αν τιθεὶς ἀλαθῆ.* Sed multo magis cum ingenio artis Aeschyleae concinit, stropham iambicam claudi per dimetrum iamb. sync. et trimetrum sync.[7]) ∾ **932:** *ἐν αἷς ἐθείνοντο καί.*

Suppl. 667 ∾ 673. Suppl. 668 ∾ 674. Suppl. 745 ∾ 752.

---

1) cf. Choeph. 419/20, 424/25. — 2) cf. vv. 721 et 722, 890 et 891, Pers. 980 et 981, Ch. 419 et 420, 424 et 425. — 3) cf. Eum. 616, Ag. 1345, ubi per Porsonum restitutum est. — 4) nec Pindarus, qui affinitate quadam cum Aeschylo coniunctus est, a verbo abhorruit: *διόσδοτος αἴγλη* (pyth. VIII, 100) *διόσδοτος ἀρχά* (frgm. VIII ap. Boeckhium). — 5) de quo conferas Hermannum in commentario. — 6) l. l. pag. 158. — 7) cf. Ch. 396/97, 420/21, 425/26, Suppl. 668/69.

c) syncope in quarto pede, id est: dimeter catalecticus.

Pers. 1041. Pers. 1042: *ἰωὰ δῆτ' ἀν' αἶαν.* Sic Weilius ingeniose pro tradito *δῆτα, ναί, ναί.*[1])

Prom. 437: *στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.* De versuum ambitu et de responsione, quae a quibusdam viris doctis investigata est, iam pag. 20 disseruimus. Ex eis, quae ibi prolata sunt, sequitur, non esse scribendum *ἀλγοῦσιν*, ut Heimsoethio responsionis suae gratia placuit, nec verba inde a *παγαί* cum Dindorfio ad nostrum dimetrum applicanda esse, cum epodicum dimetro catalectico optime claudatur, quo *τονή* in tertio pede exitum advenisse evidentius indicat, quam si dimeter purus vel alius versus legeretur.

Prom. 903: *ἔχω τίς ἂν γενοίμαν.* Contra responsionem, quam Hermannus instituit, pag. 27 sententiam nostram aperuimus, nunc nostrum est, dimetrum iambicum[2]) defendere.

Sane mirum videtur, quod fere omnes editores, postquam 902 legere coeperunt: *ἀπόλεμος*[3]) .... partim iam verbo *πόριμος* subsistunt[4]), partim inde ab *ἀπόλεμος* usque ad *τίς ἂν* legunt[5]), partim[6]) inde a *πόριμος* usque ad *γενοίμαν* novum statuunt versum. Ego quidem fateor, ubi primum inde ab *ἀπόλεμος* etc. verba recitare coepi, me non prius posse consistere, quam *οὐδ'* assecutus sim, — tum vero vocem meam subsistere sentio. Sequitur dimeter 903 per quem poeta animos audientium a trimetro soluto ad trochaicum et pherecrateum traducit:

⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –	Imprimis syllabae productae
⏑ – ⏑ – ⏑ ⌴ –	sub finem dimetri: *γενοίμάν*
– ⏑ – ⏑ – ⏑ –	iam ad descendentem rhythmum
– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑	praeparant.[7]), nam rhythmus qui-

dam non semper, sed paullatim in alium traduci solet.[8])

Ag. 1090: *ἰὼ ἰὼ ταλαίνας.* Dindorfius hercle vehementer errat, qui dipodiam iambicam cum dochmio coniunctam metrum huius versus putat. Rectius Christius[9]) dimetrum syncop. dochmium praeire credit, cum Seidlerus[10]) et Hermannus[11]) de dochmio hypercatal. cogitarent et Rossbachius[12]) primum *ἰώ* deleret. Sed altera pars versus: *κακόποτμοι τύχαι* magis dochmii speciem praebet, quam iambici versus, praeterea *τονή* in *ταλαίνας* omittenda non erat, quippe

1) cf. Rossbachium in Metr. pag. 779. — 2) quem cum Weilio (edit. 1891) statuimus. — 3) nisi quod Dindorfius *ἀπολέμιστος* legit et trochaeos accipit, qui ab hoc epodico longe abhorrent. — 4) ut apud Kirchhoffium, Weckleinium, Schmidtium videmus. — 5) ut a Weilio (edit. 1864) et Wilamowitzio (l. l. pag. 18) factum est. — 6) ut Hermannus. — 7) de qua re accuratius egi capite III, ad Ag. 225 sqq. — 8) cf. Christium, Metr. pagg. 630, 631, 637. — 9) Metr. pag. 446. — 10) l. l. pag. 170. — 11) elem. pag. 254. — 12) Metr. pag. 774.

quae dolorem infelicis virginis molliter nobis ad animum revocet. Eodem modo res se habet **1100:** *ἰὼ ἰὼ λιγείας*, ubi per *τονήν* vocem luscinae felicissime depictam esse omnes sentient.

Suppl. 510: *πιθοῦ τι καὶ γένει σῷ*. Sic Lobeckius[1]) pro *πείθου τε καὶ γενέσθω*. ∾ **517:** *νέωσον εὔφρον' αἶνον*.

d) diversis locis in uno versu.

α) 2. 3. pede syncop. ⏑ ⌞⌟ ⌞⌟ – ⏑ –

Pers. 279: *δυσαιανῆ βοάν*. Ut iam pag. 31 vidimus, v. 278 *βοάν* eiciendum fuit, quod hoc versu cum Hermanno substituam. Quo facto versus elegantissimus fit ac propter hoc laudandus est, quod per *τονάς: δυσαι-α-νῆ* querelae bene redduntur. ∾ **285:** *μεμνῆσθαί τοι πάρα*.

Ag. 360: *πέφανται δ' ἐγγόνοις*. Coniecturas, quippe quae non ad rem metricam spectent, omittam. ∾ **377:** *μελαμπαγὴς πέλει*.

Ag. 361: *ἀτολμήτων Ἄρη* ∾ **378:** *δικαιωθείς, ἐπεί*.

Ch. 70: *πατρῴων δουλίαν*. Tradita verba: *πατρῴ. δούλιον ἐςᾶγον αἶσαν* rem metricam laedunt. Sane de iambicis agi omnes editores intellexerunt, etsi formae diversae prodierunt. Blomfieldius, ut trim. iambicus catalect. fieret, mutavit *δούλιον* in *δουλίαν:* ⏑ – ⏑̄ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⌞⌟ ⏑̲

Sed spondeus: *πατρῴ ων* indicare mihi videtur, alteram et tertiam syllabam per *τονήν* producendam esse, quae species cum sententiis felicissime conspirat, cum chorum imprimis hoc pungat, quod di se ex paterna domo in domos alienas duxerint. Quare *πατρῴων δουλίαν* scribendum et cum Rossbachio et Weilio dimetrum sync. accipiendum esse censeo nec probandum Otfr. Muelleri mensuram: *πατρῴων δούλειον ἐςᾶγ. αἶσ.*, quam recte Hermannus[2]) propter rem metricam vituperat. Huc accedit, quod saepissime in verbo *πατρῷ-ος τονή* vocalem *ω* occupare solet.[3])

Sept. 873 ∾ **885. Sept. 874** ∾ **886.**

Suppl. 90: *ἰάπτει δ' ἐλπίδων*. Dimeter iambicus, quin cum Hermanno statuendus sit, vix dubitari potest, neque vero cum Kirchhoffio et Weilio verbis *ἀφ' ὑψιπύρ-* additis trimeter complendus est, cum iambicum rhythmum usque ad *ἐξοπλίζει* servare velim nec trochaico: *-γων πανώλεις βροτῶν* interiecto numeros turbare. ∾ **97:** *ἰδέσθω δ' εἰς ὕβριν*.

β) 2. et *4. pede syncop.* ⏑ ⌞⌟ – ⏑ ⌞⌟ –

quam formam a dimetro baccheo separare difficile est, quare haud iuraverim, versus, quos afferemus, re vera iambicos esse.

Sept. 942: *πρόκεισαι, κατακτάς* (sic Hermannus; codd. *προςκείσεται*). Hic propter id magis ad iambicum animum attenderim,

---

1) cf. Aiacem pag. 207 (editionis tertiae). — 2) opusc. VII, pag. 53/54. — 3) cf. caput V.

cum iambicus numerus totum proodicum personet, eodem modo atque apud Euripidem in Troad. 582 sqq. magis ad iambicos pronus sum, quoniam iambici praevalent:

βέβακ᾽ ὄλβος, βέβακε Τροία ⏑ ⌴ ⌴ – ⏑ – ⏑ ⌴ –
τλάμων· ἐμῶν τ᾽ εὐγένεια παίδων ⏑̄ – ⏑ ⌴ – ⏑ – ⏑ ⌴ –
φεῦ φεῦ· φεῦ δῆτ᾽ ἐμῶν ⏑̄ ⌴ ⌴ – ⏑ –
κακῶν. οἰκτρὰ τύχα ⏑ ⌴ ⌴ – ⏑ –
πόλεος ἅ καπνοῦται ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⌴ –
μόλοις, ὦ πόσις μοι ⏑ ⌴ – ⏑ ⌴ –
βοᾷς τὸν παρ᾽ Ἅιδᾳ ⏑ ⌴ – ⏑ ⌴ –

Christius autem nostro versu[1]) baccheos accepit. — Incertissima res est:

Suppl. 127. Quaenam metri forma praeferenda sit, ego quidem nescio, cum hic quoque certae ansae desint. Utrum cum Hermanno antistrophae metro (**137:** *ἀδμήτας, ἀδμήτα*) primas partes attribuamus, et in stropha pro *πατὴρ ὁ παντόπτας* scribamus: *παντάρχας, παντόπτας*[2]) an cum Dindorfio et Lobeckio[3]) traditum metrum strophae plus aestimandum sit, scribendo: *ἄδμητος ἀδμήτας*, ego quidem haereo.[4])

γ) *3.* et *4. pede sync.* ⏑ – ⏑ ⌴ ⌴ –

Eum. 379: *τε μνήμονες, σεμναί.* De varia huius et antecedentium versuum mensura cf. quae pag. 38 commemoravi.[5]) ∾ **387:** *ἐμοῦ κλύων θεσμόν.*

δ) *2. 3. 4. pede sync.* ⏑ ⌴ ⌴ ⌴ –

Eum. 940: *θεαί τ᾽ ὦ Μοῖραι*, quo *τοναί* preces, quae ad Parcas mittuntur, bene reddunt, neque aliter res se habet in versu antistrophico: **959:** *δι᾽ ὀργὰν ποινάς*, quo notiones „gravis ira“ et „poena“ syllabis extensis praeclare illustrantur.[6]) Eandem mensuram Rossbachius[7]) et Schmidtius[8]) adhibuerunt.

D) Versus, quibus alii pedes simulque *τονή* occurrunt.

a) spondeus et *τονή*.

Prom. 432: *νώτοις ὑποστενάζει* ⏑̄ – ⏑ – ⏑ ⌴ –. Jam pag. 20 diversas virorum doctorum sententias, quae de compositione epodici prolatae sunt, reputavimus. Versus dimeter est, qui mihi magis idoneus videtur, quam metrum, quod Dindorfius[9]) aut Ribbeckius[10])

---

1) Metr. pag. 416. — 2) coll. Soph. Oed. Col. 1085: *ἰὼ Ζεῦ, πάνταρχε, θεῶν παντόπτα.* — 3) cf. Aiacem a. 1809 V. 175. — 4) id quod etiam Bernhardio accidit, qui l. l. pag. 21 hunc versum inter eos numerat, de quorum mensura nullum iudicium proferre possis. — 5) monendum est, hanc formam rarius occurrere, quam ceterae; cf. Eur. Suppl. 789. — 6) exempla alia vide in capite V. — 7) Metr. pag. 216. — 8) Kunstf. I, pag. 273. — 9) *οὐράνιόν τε πόλον νώτοις ὀχῶν στενάζει.* — 10) *οὐρ. τ. πόλ. νώτ. ὑποστεγάζει.*

aut Weckleinius[1]) amplexi sunt, nam hic, ubi de onere, quod Atlas humeris portare cogitur, verba fiunt, spondeum pede primo versus iambici magis aptum esse credo, quam in rhythmo descendente.[2])

Ag. 1069 ∾ **1080.**

Suppl. 857: *μᾶ Γᾶ, μᾶ Γᾶ βοᾶν;* ⏑ ⏗́ ⏗́ – ⏑ –. Animadvertas, quam feliciter *τοναί* imprimis in littera ά nobis affectum puellarum, quae summis discriminibus versantur, ostendant. ∾ **867.**

Suppl. 859: *ὦ βᾶ Γᾶς παῖ Ζεῦ* ⏑ ⏗ ⏗ ⏗ –

Sunt, qui hic non iambico, sed dochmio vel alii versui aspirent, ut Schmidtius[3]), qui trochaeos accepit, et Rossbachius[4]), qui de hac specie haec dicit: „die katalektische Form lässt sich in den iambischen Strophen der Tragiker nicht nachweisen, doch wird sie als alloiometrische Reihe in den Strophen der Tragiker beigemischt.“ confertque locum Eumenidum (V. 940), nostrum silentio praeteriit. Alii, ut Kruseius, de mensura dubitant. Ego autem rem in medio haud relinquam ac iambis syncopatis faveam, nam, quoad ex hac corrupta parte discere possumus, iambi et dochmii praecedunt: 851 *οἰοῖ πάτερ,* 854: *ἄραχνος ὡς βάδην.* 855: *ὄναρ ὄναρ μέλαν.* 856: *ὀτοτο τοτοῖ.*

b) tribrachys et *τονή.*

Prom. 578 ∾ **599,** ubi *Ἥρας* Hermannus addidit.

V. Pentapodia.

A. iambi puri.

Ag. 392: *ἄτλητα τλᾶσα. πολλὰ δ' ἔστενον.* Quo iure versus per vim in trimetrum redigendus sit, ego non intellego. Heimsoethii[5]) opinionem: *βέβ. ῥίμ. δ. πυλ. ἄτλη || τα τλᾶσ. π. δ' ἔστ.,* quam Engerus et Weilius[6]) secuti sunt, refutandam esse, cum versum antecedentem turbet, v. 391 videbimus. ∾ **408:** *βέβακεν ὄψις οὐ μεθύστερον.* De Wilamowitzii distinctione[7]) infra disseretur.

B. pedes alii, qui iambi vice funguntur.

α) Tribrachys.

diversis pedibus.

Sept. 751: *τὰ δ' ὀλοὰ πενομένους παρέρχεται; πενομένους* recte Buechelerus et Kirchhoffius pro *πελομένους.* De sententiis aliis,

---

1) *γαίας οὐρ. τ. πόλ. στέγων ὑποστενάζει.* — 2) ante oculos mihi versabatur versus ille notissimus in Euripidis Ione (V. 1) unde Porsoni quaestio profecta est: *Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανόν,* ubi eodem modo onus, quod umeris sustinet, per spondeum (si non in *νώτοις,* sed in -σι *νώτοις οὐρ.*) pro iambo positum repraesentatur. — 3) Kunstf. I, pag. 308. — 4) Metr. pag. 255. — 5) Wiederh. pag. 342. — 6) edit. Teubn. 1891. — 7) cf. l. l. pag. 7/8.

quas quidam de versu statuendo habuerunt, cf. pag. 35 ∾ 757: *πόλεος ὁ πολύβατός τ' ἀγὼν βροτῶν;* sic Weilius; *M: πολύβοτός τ' αἰών.*

β) spondei.

primo pede.

Pers. 550: *Ξέρξης δὲ πάντ' ἐπέσπε δυσφρόνως.* Primum verbum ab Heimsoethio[1]), qui versum aliter metitur: *τὰ πάντ' ἐπέσπε δυσφόροισι βαρίδεσσι ποντίοις* et a Dindorfio[2]) expunctum est, — summa iniuria, ut credo. Nam poeta sane de industria Xerxem hic tertium nominavit, cui etiam *νᾶες* illud ter repetitum respondere voluit.[3]) Conferas etiam H. Schmidtium[4]) et Christium[5]), qui exemplis demonstrant saepius pentapodiam iambicos dimetros claudere, aut in universum finem facere iambicorum versuum. ∾ **560:** *νᾶες πανωλέθροισιν ἐμβολαῖς.*

γ) diversi pedes, qui non iambi puri sunt.

Pers. 963: *Πέρσαις ἀγανοῖς κακὰ πρόκακα λέγεις.* Versus non cum Schillero et Rossbachio[6]) in duas partes dirimendus est: *Πέρσαις ἀγανοῖς* ⏑̄ – ⏑ ⊔ – | *κακὰ πρόκακα λέγ.* ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –, cum dochmiaci uno tantum exemplo excepto[7]) in Persis desint.[8]) Hac pentapodia sententiae versus optime illustrantur; postquam enim diiambus ⏑̄ – ⏑ – praeterit, subito dactylus et tribrachys prorumpunt, auresque nostras feriunt – ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –. ∾ **976:** *τροχηλάτοισιν ὄπιθεν ἑπόμενοι.*

Prom. 435: *κελαινὸς δ' Ἄιδος ὑποβρέμει μυχός.* De responsione, quae hic plane evitanda fuit, iam pag. 20 verba fecimus. Etiam Dindorfii *κελαινὸς Ἄιδος*, qua coniectura dactylum altero pede sine causa gravi fugit, nec non Seidleri sententia[9]), verba *κελαιν. Ἀιδ.* dochmium reddere, repudianda videntur. — Vocem *γᾶς*, quae vulgo sub finem legitur, in v. 430 transponam, quo aptior est, quam hic.

Ag. 736: *δαίμονά τε τὰν ἀμάχετον, ἀπόλεμον.* Sic haud scio an versus restituendus sit scribendo *ἀμάχετον* cum Weilio, qui in universum versus rectos statuit. Verba, quae antea apparent, nec sola legenda sunt, ut dipodiam iambicam expleant: *φάος τόκου* (vel *κότου*)[10]) nec cum nostra pentapodia coniungenda. Quidnam de v. 735 iudicandum sit, loco suo videbimus; interim in hoc acquiescamus, versum 736 esse pentapodiam, quae comitata est dimetro trochaico *ἀνίερον θράσος μελαί-*, tum pherecrateo *-νας μελάθροισιν ἄτας* iterumque pherecrateo: *εἰδομέναν τοκεῦσιν.* Quae descriptio etiam propter

---

1) Wiederh. pag. 348 sqq. — 2) Philol. XIII, pag. 471. — 3) rectissime igitur Weilius (in edit. 1867) de nomine Xerxis: „quod mihi cum vi repetitum fuisse videtur." — 4) Kunstf. II, pag. 368. — 5) Metr. pag. 349. — 6) Metr. pag. 161. — 7) v. 266. — 8) cf. Christium Metr. pag. 456, Rossb. Metr. pag. 779. — 9) l. l. pag. 56. — 10) cf. exempla, quae pag. 7 sqq. attulimus; cf. etiam pag. 23.

hanc rem commendatur, quod transitus a versibus iambicis ad logaoedicos bene per trochaeos factus est:

– ⏑́ ⏑ | ⏑ – | ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑ ⏓ (iamb.).
⏑́ ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | – | (troch.)
– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒ (logaoed.)
– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒

Similiter res se habet Suppl. 127 sqq.

παντάρχας, παντόπτας ⏒ ⌴ – ⏒ ⌴ – (iamb.)
πρευμενεῖς κτίσειεν – ⏑ – ⏑ – ⏑ (troch.)
σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρός – ⏑ ⌴ – ⏑ ⏑ – ⏑ (logaoed.)

et Prom. 903 sqq: *ἔχω τίς ἂν γενοίμαν* ⏑ – ⏑ – ⏑ ⌴ – (iamb.)
τὰν Διὸς γὰρ οὐχ ὁρῶ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – (troch.)
μῆτιν, ὅπᾳ φύγοιμ᾽ ἄν. – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ (logaoed.)

∾ **743:** *ὄμμασι λιποῦσ᾽ ὅσια προσεβάλετο;* sic Weilius pro *προσέβα τοῦ.*

C. iambi syncopati.

a) secundo pede. ⏑ ⌴ – ⏑ – ⏑ – ⏓

Ch. 41: *ἰώ, γαῖα, μαῖα μωμένα.* Hermannus[1]), Kirchhoffius, Dindorfius ab *ἰώ* usque ad *ἰάλλει* uno tenore legunt ac sequentes versus trochaicos ducunt. Contra Weckleinius aliam rationem[2]) secutus est, qui in Orestia *ἰὼ γαῖα, μαῖα* a ceteris seiunxit, et brevia cola trochaica statuit. Tres pentapodias potius aptissimas crediderim, ut Weilius, Rossbachius[3]), Weckleinius[4]), Schmidtius[5]) fecerunt, praesertim cum tali descriptione compositio elegantissima nascatur, de qua Christius[6]) commemoravit, nam non per casum accidisse videtur, ut primum trimeter, deinde pentapodia 2. pede sync. tum pentapodia 2. et 3. pede sync., tum iterum pentap. 2. pede syncop, postremo trimeter appareant, ita, ut ordo lucidissimus exstiterit:

trimeter ———————— a
pent. 2. pede sync. b -
pent. 2. 3. pede sync. c -
pent. 2. pede sync. b -
trimeter ———————— a

Heimsoethius[7]) autem in magno errore versari videtur, qui tres pentapodias non esse rhythmicas censet; hoc enim reputandum est non plane eas exaequatas esse, sed variatione *τονῆς* aliam aliud ingenium prae se ferre. ∾ **51:** *δι᾽ ὤτων φρενός τε δαμίας.*

Ch. 42/43: *φοβοῦμαι δ᾽ ἔπος τόδ᾽ ἐκβαλεῖν* ∾ **52/53:** *φοβεῖται δέ τις. τὸ δ᾽ εὐτυχεῖν.* Hoc quoque pro pentapodia verba facit, quod *τονή* eodem verbo eodemque loco in stropha et antistropha legitur:

---

1) qui in elementis pag. 258 versum sic metitur: *ἰὼ γαῖα, μαῖ | α μωμένα μ᾽ ἰάλλει.*
⏑ – – ⏑ –
⏑ – ⏑ – ⏑ ⌴ – — 2) quam amplexus est Conradtius (Jahrb. f. Phil. u. Paed. 1895, pag. 301). — 3) Metr. pag. 272 et in „de Choeph. locis nonnull. comment.“ pag. 10. — 4) „Studien z. Aesch.“ pag. 149. — 5) Kunstf. I, pag. 208. — 6) Metr. pag. 613. — 7) Wiederh. pag. 339.

φοβοῦ-μαι. Hoc autem in deliciis Aeschyli esse
∾ *φοβεῖ-ται* ex exemplis collegit Christius[1]): „die Strophe und Antistrophe pflegen ferner darin miteinander übereinzustimmen, dass an den respondierenden Stellen gleiche oder ähnliche Worte stehen.“[2])

Ch. 75: *ματαίοισι δεσπόταν τύχαις.*

Ch. 616: *κατάπτυστον· ᾔκασεν δέ τις.* ∾ **608:** *γαμήλευμ' ἀπεύχετον δόμοις.*[3]) Hic simili modo ac v. 41 sqq. post trimetrum pentapodiae duae sequuntur, quarum prima tertio, altera secundo pede syncopata est, quas iterum trimeter syncopatus excipit. Quare, ne hic quoque ordo quidam disturbetur, nec Dindorfii mensuram amplectar, qui inde a *-πτυστον* versum initium ducere putat, nec Christii[4]), qui 607 et 608 uno tenore legi iubet.

Sept. 313: *βοᾷ δ' ἐκκενουμένα πόλις* ∾ **325:** *καπνῷ χραίνεται πόλισμ' ἅπαν.* Sequar Brunckium et Kirchhoffium, qui *δὲ* post *καπνῷ* sustulerunt, non Hermannum, qui in stropha *βοᾷ δὲ καὶ κενουμένα* scripsit, primum, quod illo *δέ* v. 325 facile carere possimus, tum autem, quod *ἐκκενουμένα* multo dignius est poeta tragico, quam languidum *δὲ καὶ κενουμένα*[5]), postremo, quod per *τονήν* in *βοᾷ:* ◡ ⌞⌟ notio clamandi magis elucet, quam si simplex iambus legeretur.[6])

Sept. 720: *μελαμπαγὲς αἷμα φοίνιον.* Non dochmius + diiambus est, ut Hermannus[7]) aestimavit, non baccheus tripodia iambica auctus, ut Dindorfio[8]) placuit, sed iambi secundum ingenium strophae exspectandi sunt. ∾ 728.

Sept. 865: *δι' εὐωνύμων τετυμμένοι.* Falsam Hermanni[9]) mensuram (dochmium + diiambum) recte Bernhardi[10]) vituperavit. ∾ **876.**

b) tertio pede syncop. ◡ – ◡ ⌞⌟ – ◡ – ◡ ⏓

Ch. 615: *λόγῳ· γοᾶται δὲ δὴ τόθεν. τόθεν:* Heimsoethius; *M: πόθει.* Quid in pentapodia[11]) falsi insit, ut Bernhardio[12]) visum est, non intellego. ∾ **607:** *πόθων, ἀκαίρως δὲ δυσφιλές. πόθων* Stanl. *M: πόνων.*

Sept. 987: *ἰὼ ὅπου τιμιώτατον.* Non cogimur, quamquam versus antecedentes et sequentes trimetri sunt, hic quoque trimetrum explere, ut Weilius fecit, (*ἰὼ ὅπου πέρ γε τιμιώτατον*) neque West-

1) Metr. pag. 642 sqq. — 2) de tota quaestione cf. dissertationem Jacobii „de aequali stroph. et antistr. in trag. Graec. conformatione“ 1866. — 3) stropham post antistropham transponendam esse iam pag. 38 vidimus. — 4) Metr. pag. 359. — 5) cf. Pers. 548. — 6) ceterum pentapodiam syncop. etiam Bernhardi (l. l. pag. 4) defendit. — 7) elem. pag. 257. — 8) de metr. poet. scaen. pag. 40. — 9) elem. pag. 257. — 10) de tone pag. 4. — 11) quae non per vim in trimetrum redigenda est, ut Hermannus, Weckleinius, Dindorfius faciunt, qui versum usque ad *-κατάπτ-* produxerunt. — 12) l. l. pag. 8.

phalium sequar, qui *ἰὼ τιμιώτατον σῆμα πατρὶ πάρεννον* in unum conglutinavit versum. Stultum est, in **tali** epodico severum ordinem exspectare, ubi puellae gemitus effundunt, quas minime ratione logica omnia proferre oportet; immo variae formae impetum ac morsum doloris bene illustrant.

c) quinto pede sync. ∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⌴ –

Ag. 228: *ἀπ' ὄμματος βέλει φιλοίκτῳ.* Sic cum Kirchhoffio, Hermanno, Schmidtio[1]) Rossbachio[2]) versum metiar et antecedentem versum inde ab *ἔβαλλ'* usque ad *θυτήρων* pertinere crediderim, ut poetae ingenium conservetur. Feliciter enim Aeschylus per *τονάς* quae sub finem uniuscuiusque versus inde a secundo versu sequuntur, virginem deprecantem et ex oculis tela misericordiae mittentem depinxit. Quicumque hos tres versus attento animo recitaverit:

κρόκου βαφὰς δ' ἐς πέδον χέουσα ∪ – ∪ ⌴ – ∪ – ∪ ⌴ ⏑
ἔβαλλ' ἕκαστον θυτήρων ∪ – ∪ ⌴ – ∪ ⌴ –
ἀπ' ὄμματος βέλει φιλοίκτῳ ∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⌴ –

plane vim rhythmi eum sentire oportet. Contra Weilius, Dindorfius, Wilamowitzius[3]), Bernhardi[4]) versus sic describunt: *ἔβ. — βέλει | φιλοίκτ. — προσεννέπειν,* itaque duos tetrametros statuunt, Weckleinius: *ἔβ. — θυτή | ρων — βέλει,* ubi versus sine ulla variatione decurrunt, quasi res trita narretur, quod etiam in Engerum cadit, qui versui sequenti *φιλοίκτῳ* adiecit.

∾ 238: *μαθεῖν ἐπιρρέπει· τὸ μέλλον.*

Ag. 355: *πάρεστι τοῦτό γ' ἐξιχνεῦσαι.* Ex *τοῦτ'* codicum Triclinius *τοῦτό γ'* restituit, cum versus antistrophicus esset **372:** *προβουλόπαις ἄφερτος ἄτας.* Ac primum contra eos dicendum est, qui ex pentapodia tradita trimetrum facere studuerunt, ut Hensius (*πάρεστιν τοῦτό γ'*) et Weckleinius (*πάρεστιν δ' οὖν*). Etiam Heimsoethius[5]) traditam mensuram vituperat et versum non rhythmicum censet. Rossbachius autem[6]) et Schmidtius[7]) et Christius[8]) pentapodiam tuentur, iure, nam ea vero nobis tradita est, non trimeter, neque nos decet, versus in aliam formam redigere, nisi evidentissimas causas proferre possumus.[9])

---

1) Kunstf. I, pag. 158. — 2) Metr. pag. 266. — 3) l. l. pag. 6. 4) l. l. pag. 19. — 5) Wiederh. pag. 346. — 6) Metr. pag. 268. — 7) Kunstf. I, 160 sqq. — 8) Metr. 349, qui autem pag. 308 *πάρεστιν* et *προβούλου παῖς* praefert, item in „rhythm. Continuität d. griech. Chorges." = Abh. d. bayr. Akad. XIV, III, pag. 48 adn. 11. — 9) Doleo autem, quod causas, quas Rossbachius et Schmidtius pro pentapodia attulerunt, haud firmis pedibus nixae esse videntur. Uterque antistropham tractat et hunc ordinem statuit:

trim.	6 (v. 371)	dim.	4 (v. 377)
pentap.	5	dim.	4
trim.	6	trim.	6

∾ **372:** *προβουλόπαις ἄφερτος ἄτας.*

Sept. 90: *-τρεπὴς ἐπὶ πτόλιν διώκων.* Quamquam versus iambicus medios in dochmios immixtus suspicionem nullam movet, tamen ab Hermanno in dochmium + diiambum syncopatum mutatus est: (scribendo *ἐπὶ πόλιν*)[1], a Weilio in dimetrum dochmium: *-τρεπῆ ἐπὶ πτόλιν | διώκ. πόδα.* At aliud exemplum pro pentapodia in dochmios inserta loquitur: Eur. Phoen. 294: *γονυπετεῖς ἕδρας | προσπίτνω σ' ἄναξ*

γονυπετεῖς ἕδρας | προσπίτνω σ' ἄναξ
τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα.
ἔβας, ὦ χρόνῳ | γᾶν πατρίαν, ἰώ
πότνια, μόλε πρόδρομος κτλ.

(ultimos versus sec. Dindorfii emendationem dedi)

d) syncope diversis pedibus.

α) ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⌞ – 2. 5. pede sync.

Pers. 573: *βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν.* Scilicet iambi, qui continui ab initio usque ad ultimum pedem percurrunt, non interrumpendi sunt, nec cum Hermanno[2]) per dochmium et baccheum expellendi.

∾ **581:** *τὸ πᾶν δὴ κλύουσιν ἄλγος.*

Sept. 310: *ἐή, νέας τε καὶ παλαιάς.* *ἐή* Dindorfius ex *ἒ ἒ* reposuit, ut pentapodia fiat, qua emendatione iam v. 135 et 943 usi sumus.[3]) Optime autem *ἐή* ⏑ ⌞ producta altera syllaba se habet, quippe quae productio praeclare exclamationem doloris plenam illustret, quare mirum est, quod nemo hanc coniecturam in textum recepit praeter Weilium.[4]) Hic enim, ut in versu respondente: **322:** *ἐή, δυστυχῆ τε πράσσει,* iambus in *ἐή* (ut v. 313: *βοᾷ*) quasi telum in logaoedicos inmittitur et auditorem excitat, cuius aures ab initio strophae logaoedicis et dactylicis assuetae sint.: „feminae victae aguntur — *ἐή!* — omnes, et natu minores et maiores.“ et v. 322: urbi, cum capta est, — *ἐή!* — multa mala accidunt.

Sept. 985: *ἰώ, δαιμονῶντες ἄτᾳ.* *ἐν* ante *ἄτᾳ* Hermannus sustulit.

Suppl. 92: *βίαν δ' οὔτις ἐξοπλίζει.* Hic de metro nulla dubi-

---

trim. ——— 6	trim. ——— 6		
dim. ——— 4	pentap. — 5	} his autem versibus	
dim. ——— 4	trim. ——— 6		

contra usum vulgarem legunt: *λιτᾶν δ' ἀκούει μὲν οὔτις* (pentap.) *θεῶν, τὸν δ' ἐπίστροφον τῶνδε* (trim.: ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⌞ ⌞ ⏓), quae verba pessimum efficiunt versum, quem frustra in Aeschylo quaeres, cum exitus nimium *τοναῖς* ornatus sit. Praeterea in stropha 365 trochaei apparent, secundum quos etiam versum antistrophicum corrigendum esse censeo, cum trochaei bene ex iambis in logaoedicos inducant. — His igitur causis, quas Rossbachius et Schmidtius afferunt, pentapodiam non defendam. — 1) cf. Seidlerum, l. l. pag. 58 et 163. — 2) elem. pag. 256. — 3) scilicet *νέας* per synizesin legendum est. (ut Eum. 938: *νεανίδων ἐπηράτων*). — 4) edit. 1863.

tatio oriri debet[1]), quare Bernhardii[2]) sententiam miram iudicaverim, qui versum inter versus dubiae mensurae rettulit. ∾ 99.

β) ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⊔ ⏓: 3. 5. pede sync.

Pers. 1045: *ἰὴ ἰή, τρισκάλμοισιν.* Quid alii de hoc versu cogitaverint, iam ad v. 1046 (pag. 12) annotavimus. Weilius sequentem versum adiunxit: *ἰὴ ἰή, τρισκ. βάρισιν φθιτοί,* sed per hanc mensuram syllabae quaedam per *τονήν* producuntur, quae *τονῇ* haud dignae erant: ⏑ – ⏑ ⊔ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –, immo in *η* et *οι* ponenda erat.
τρισκαλ...

Prom. 692. Ag. 227: *ἔβαλλ' ἑκάστον θυτήρων,* de quo versu iam pag. 47 egimus, ubi de simili versuum exitu disseruimus. ∾ **237:** *Δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦσιν.*

Ag. 396: *πάρεστι σιγὰς ἀτίμους.* Sitne recta coniectura Hermanni, (traditum: *σιγᾶς ἄτιμος ἀλοίδορος*) affirmare non ausim. Metrum, quod desideratur, certe iambicum est, praesertim cum in eiusmodi strophis iambicis rhythmus iambicus saepissime per stropham continuari soleat, donec sub finem trochaicus versus sequatur, qui animum in logaoedicos versus traducit. Metrum autem quod Hermannus adhibuit, non probare possumus, nam heptapodia iambica (legit enim usque ad *ἀλοιδόρους*) ab usu tragicorum abhorret. Pentapodiae potius locum esse censeo, in qua *τονή* iterum suas ferit syllabas: *σῑγᾶς* et *ἀτῑμους,* quam neque a Schmidtio[3]), neque a Rossbachio[4]) neglectam esse video. ∾ **412:** *τὸ πᾶν ἀφ' Ἕλλανος αἴας. Ἕλλανος* Bambergerus pro tradito *Ἑλλάδος.*

γ) ⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ –; 2. 3. pede sync.

Ch. 42: *μ' ἰάλλει δύσθεος γυνά,* de quo versu cf. pag. 45 ∾ **51:** *περαῖνον νῦν ἀφίσταται,* ubi *τονή* aptissima est; cf. caput V.

Ch. 374: *ἐφυμνῆσαι γένοιτό μοι.* Versus non longius producendus est, ut Dindorfius[5]) voluit, qui usque ad *ἀνδρός* legit et versum „antispastico-iambicum in clausulam choriambicam exeuntem" statuit, quam descriptionem Wilamowitzius[6]) et Weckleinius[7]) instituerunt. Nec fuit necessarium, cum Hermanno post *μοι | ποτέ* et in antistropha v. **398** (*πέπαλται δ' αὖτέ μοι φίλον*) *κέαρ* addere, ac versum proximum ab *οἰκτρόν* incipere, nam logaoedico licere a iambo pro trochaeo initium facere exempla docent. — Pentapodiae autem,

1) est pentapodia, non dochmius baccheo auctus, ut Hermannus censuit (elem. pag. 256). — 2) l. l. pag. 4. — 3) Kunstf. I, pag. 162. — 4) Metr. pag. 268, ubi demonstravit, si pentapodiae priores partes tribuimus, inde a v. 394 usque ad v. 398 compositionem aequalem evenire. — 5) Metr. pag. 48. — 6) l. l. pag. 15. — 7) „Studien zu Aeschylus" pag. 6.

non dimetro iambico viam patefaciam, quod tum vis, quae in verbo *ἐφυμνεῖν* inest, per *τονή* (*ἐφυμ-νῆ-σαι*) exaggeratur.[1])

D) versus, quibus alii pedes simulque *τονί* occurrunt.

a) spondeus et *τονή*.

Pers. 280: *ὡς Πέρσαις πάντα παγκάκως:* ⏑̄ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ –. Secundum ea, quae ad vv. antecedentes (cf. pagg. 31 et 41) annotavimus, hic opportunum videtur, cum Teuffelio scribere: *ὡς Πέρσαις*, cum hac ratione *τονή* in verbo *Πέρσαις* versetur, quod certe efferri debuit; haec enim summa est, quod di ipsis Persis talia mala intulerunt. Eodem modo res se habet v. **286:** *ὡς πολλὰς Περσίδων μάταν,* ubi iterum *τονή* haud aliena est: „quam multas Persarum."[2])

b) tribrachys et *τονή*.

Pers. 1028: *ἄπριγδ' ἄπριγδα μάλα γοεδνά* ∾ **1034:** idem: ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⊔ ⏑̲. Wilamowitzii doctrinam[3]) probare non possum, qui leges metricas huic pentapodiae obstare credit, et primum *ἄπριγδα* Xerxi dat, cetera choro attribuit vertens: „perde canos barbae tuae, carptim!" — „carptim quidem, sane flebiliter." Ego pentapodiam defendam, nam ipsa ex repetitione verbi *ἄπριγδα*[4]) nec non ex tribracho: *ά μάλᾰ*, ubi frigidum *α* optime partes suas agit, postremo ex syncope sub finem versus (*γοεδνα*) poetae ingenium perspicimus, nam „*δν*" longius, quam fieri solet, productum, notionem irae ac desperationis in auditorum animis excitat, ut Ag. 205: *ἐπεὶ δ' ἀνάγκας ἔδυ λέπαδ-νον,* ubi per *τονήν* ostenditur, Agamemnona graviter tu- ∾ *πατρῴ-ους* lisse, quod iugum Necessitatis accipere coactus est.

Ag. 391: *βέβακεν ῥίμφα διὰ πυλᾶν;* ⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – Versus nobis praeclare effugium Helenae illustrat, nam *τοναῖς* initio positis Helenam leniter gradientem animo videmus, subito autem (*ῥίμφα διὰ* – ⏑ ⏑́ ⏑) eam ex oculis effugientem et quasi avem devolantem. Haud aliter in antistropha celeritas somnii bene expressa est: **407:** *παραλλάξασα διὰ χερῶν.* Quae sententia Aeschyli, quae certe fuit neque a me inventa est, per Wilamowitzii[5]) distinctionem plane tollitur, cum versum verbis *βέβακεν ὄψις οὐ* onerabat. Neque Weilius hac culpa absolvi potest, qui v. 391: *ἄτλα*—et v. 407: *βέβα*-addidit, neque Hermannus, qui scribendo *βέβακε κτλ.* ∾ *παραλλαγαῖσι κτλ.*

---

1) cf. Ag. 1430: *ὕμνον ὑμ-νεῖν ἐπεύχεται;* (hoc metrum stropha praescribit: *πρὸς γυναικὸς δ' ἀπέφθισεν βίον.* – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –. Soph. Ant. 815: *ὕμνος ὕμ-νησεν κτλ.* — 2) Saepius enim in verbis, in quibus notio multitudinis inest, *τονή* adhibetur; cf. Christium, „Abh. d. bayr. Akad." 1869, pag. 453; cf. caput V. — 3) l. l. pag. 24. — 4) de repetitione verbi cuiusdam de industria a poeta facta cf. Weckl. „Studien z. Aeschyl." pag. 50. — 5) l. l. pag. 7/8.

dimetro palmam dedit. Rectam mensuram a Weckleinio[1]), Keckio Rossbachio[2]) adhibitam video.

c) dactylus et *τονή*.

Ch. 62: *διαλγὴς ἄτη διαφέρει:* ⏑ ⏗ ⏗ – – ⏑́ ⏑ ⏑ –. Ac primum monendum est, versum antistrophicum secundum strophicum corrigendum esse, cum in hac stropha soli iambi exspectentur. Pentapodiam autem pluris habui, quam dimetrum, nam sic legendum videtur: *διαλ—γής—ἄτη* etc.; verbum *διαλγής* enim propterea *τονῇ* praeditum est, quo magis notio „penitus intrandi“ efferatur, ut *ἄλγος* vel tale quidquam interdum *τονῇ* extenditur.[3]) Quare aliis versibus aditum praecluserim.[4]) Rectam viam ingressi sunt Hermannus, Bambergerus, Weilius, id quod etiam ex versu respondente (v. 66) perspici potest, ubi Bambergerus ex tradito *βαίνοντες τὸν χερομυσῆ* egregie restituit: *προβαίνοντες*, quod ad *ἐκ μιᾶς ὁδοῦ* aptissimum fuit. Nam certe ante *βαίνοντες* una syllaba correpta desideratur, non iambus, ut O. Hensio[5]) placuit. Contra Reiterus[6]) putat versum *διαλγής ἄτη* | ⏑ ⏗ ⏗ ⏗ –

huic respondere posse: ∾ *βαίνοντες τὸν* | ⏗ ⏗ ⏗ –

dimetrum iambicum syncop. igitur dimetro trochaico sync. Praeterquam, quod iambi trochaeis nusquam respondent, hoc etiam reprehensione dignum est, quod nimis tenaci ratione critica versatus hoc monstrum genuit: ⏗ ⏗ ⏗ ⏊, quod magis orationem pedestrem sapit, quam carmen melicum.

VI. Hexapodia.

A. iambi puri.

Hoc praemittendum erit, cavendum esse, ne nimis hexapodiarum afferamus. Nam existunt in partibus melicis trimetri, qui magis ingenium eorum iambicorum prae se ferunt, qui in diverbiis, non in melicis partibus obviam fiunt, ut in Agamemnone, ubi chorus et Cassandra colloquuntur, vel in Supplicibus inde a v. 700. Quare ei trimetri potius eligendi sunt, quos ad meum officium attinere puto.

Pers. 1009: *δίαινε δίαινε πῆμα· πρὸς δόμους δ᾽ ἴθι.* Non placet, quod Hermannus suasit: *δίαινε* — (pausa) *δίαινε* etc. (∾ **1017:** *ἔρεσσε — ἔρεσσε*) cum per synecphonesin quae vocatur versum legere liceat: *δίαινε* = djaine, ut apud Rossbachium[7]) invenies.[8]) Jam Hermannus

---

1) in Orestia. — 2) Metr. pag. 268. — 3) cf. Pers. 581: *τὸ πᾶν δὴ κλύουσιν ἄλ-γος.* — 4) Heimsoethius (Wiederh. pag. 35): *διαρκὴς ἄτα διαφέρει τὸν αἴτιον.* Schmidtius (Kunstf. I, pag. 208) *δι᾽ ἄτας δὲ διαφέρει τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσον βρύειν* (uno tenore!) — 5) „Krit. Blätter“ pag. 28. — 6) l. l. pag. 158. — 7) Metr. pag. 283. — 8) cf. Brückeium „Grundzüge d. Physiologie u. Systematik der Sprachlaute“ pag. 70.

ipse[1]) de hac pronunciatione cogitaverat, annotans: „fortasse huc pertinet etiam *δίαινε* apud Aesch. in Pers.“

Pers. 1025: *καὶ στέρν᾽ ἄρασσε καὶ βόα τὸ Μύσιον. M: κἀπιβόα,* corr. Hermannus ∾ **1031.**

Prom. 118. Prom. 584 ∾ **605. Ag. 390** ∾ **406.**

Ag. 397: *ἀλοιδόρους κάκιστ᾽ ἀφειμένων ἰδεῖν.* Ut iam pag. **49** enuntiavimus, Hermannum, si non in metrica[2]), at tamen in textu reparando sequimur. (tradit. *ἄδιστος ἀφεμένων*). Trimetrum iambicum acceperunt Schmidtius[3]), et Rossbachius[4]). ∾ **412:** *συνορμένοις πένθεια τλησικάρδιος.*

Ag. 457: *τίς οἶδεν; εἴ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος.* sic Herm. libri: *εἴ τοι.*

Ag. 458. Ag. 1035: *ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον.* Hunc versum afferendum putavi eodem modo atque alios trimetros, quos Cassandra recitat, cum arte cum dochmiis cohaereant et re vera inter melicos iambicos referendi sint. ∾ **1040:** *ἆ ποῖ ποτ᾽ ἤγαγές με; πρὸς ποίαν στέγην;* ubi 1. et 5. pes spondeus est.

Ag. 1056 ∾ **1063.**

Ag. 1497: *δίκα δ᾽ ἐπ᾽ ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει βλάβης.* Cum antistrophae versus v. **1524** puris iambis constaret, editores omnes Hermannum secuti sunt, qui pro *θήγει* scripsit: *θηγάνει.* Tamen Reiterus[5]) *θήγει* retinuit, quod respondere possit:

ἐκβάλοι δόμων – ∪ – ∪ –
∾ *θήγει βλάβης* ⏑⏑ – ∪ –. Sed ne hic quidem mutatio Hermanni gravissima est, ut iam in levitatis crimen incideremus, si eam neglegeremus. Praeterea talis versus, qualem Reiterus sibi excogitavit, (trim. 5 pede sync.) nusquam in Aesch. occurrit.

Ch. 23 ∾ **32. Ch. 44** ∾ **54. Ch. 60:** *δι᾽ αἵματ᾽ ἐκποθένθ᾽ ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ* ∾ **64:** *θιγόντι δ᾽ οὔτι νυμφικῶν ἑδωλίων. θιγόντι:* Stephanus; tradit. *οἴγοντι.*

Ch. 61 ∾ **65.**

Ch. 63: *τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσον βρύειν.* Mensuras diversas maximam in partem iam pag. 51 attuli. Praeter Schmidtii[6]) et Reiteri[7]) sententias maxime Dindorfii opinio[8]) commemoratione digna videtur, qui in *παναρκέτας* corruptelam manifestam inesse autumat, quod vocabulum desideretur, quod cretici mensuram habeat. Ad hoc iudicium pervenit, cum antistrophici versus initium hoc fuisse sibi fingeret: *φόνον καθαί* | *ροντες ἰ* || Sed versum antistrophicum

∾ *τὸν αἴτιον* | – ∪ – ||

1) elem. pag. 54. — 2) rapit enim *ἀλοιδόρους* ad pentapodiam praecedentem, quare heptapodia facta est. — 3) Kunstf. I, pag. 162, ubi secundum Hartungium legit: *ἀκοιτόρων ἄδιστος εἰκόνων ἰδεῖν.* — 4) Metr. pag. 268. — 5) l. l. pag. 144. — 6) Kunstf. I, 208, ubi omnia uno tenore legit. — 7) l. l. pag. 158: *διαφέρει τὸν αἴτιον* | *παναρκέτας νόσον βρύειν.* — 8) in lexico Aeschyleo.

secundum hunc, quem tractamus versum, corrigendum esse, et trimetrum non syncopatum tenendum etiam contra Keckium et Hensium[1]) affirmem. Keckius[2]) enim in tali versu offendit, quod apud Aeschylum nusquam stropha versu finiatur, qui ulla syncope careat. Sed sunt exempla quibus demonstretur, Aeschylum haud ita abhorruisse ab ultimo versu non syncopato cf. Suppl. 131, Sept. 937. Ceterum talia non in legem severam incluserim, cum semper in talibus quaestionibus empiria adhibenda sit, semperque unoquoque loco reputandum: „quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non.“ Nam hoc loco illud, quod Keckius vocat „ein beruhigender Abschluss“ ne desidero quidem, cum id, quod ultimo versu prolatum est, nondum absolutum videatur, immo tantum abest, ut animi audientium acquiescant, ut alia requirant, quae cum eis, quae modo dicta sunt, cohaereant. ∾ 67: *φόνον καθαρσίοις ἔλουσαν ἂν μάταν*. Sic Weilius versum ex corrupto: *καθαίροντες ἰοῦσαν ἄτην* restituit. Alii alia suaserunt.

Ch. 315: *τέκνον, φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμά-* Plerique editorum hic heptapodiam statuerunt (*δαμάζει* legentes): Hermannus, Weilius[3]), Christius[4]), qui versum propter incisionem similem putat versui medii aevi, qui „Alexandriner“ vocatur. Sed heptapodiam, quae magis colorem versus Germanici, quam Graeci prae se fert, accipere non ausim, quod haec species alias non legitur. Sequar potius Weilium in nova editione, ubi trimeter statutus est. ∾ **344:** *φίλος φίλοισι τοῖς ἐκεῖ καλῶς θανοῦ-*

Eum. 155 ∾ **162.**

Eum. 169: *ἐφεστίῳ δὲ μαντικὸν μιάσματι. M; μάντι, σῶι*, corr. Weilius. ∾ **173:** *κἀμοί γε λυπρὸς καὶ τὸν οὐκ ἐκλύσεται.*

Eum. 382: *λάχη θεῶν διχοστατοῦντ' ἀνηλίῳ*. Non cum Dindorfio et Weckleinio hos versus rectos iudicaverim: *λάχ. θ. διχοστ.* (dim. iamb.) *ἀναλ. λάπᾳ* (trip. iamb.) + *δυσοδοπαίπαλα* (dochm.) nec cum Wilamowitzio[5]) et Weilio nostrum versum verbo *λάμπᾳ* auxerim, sed post trimetrum pentapodiam dactylicam sequi crediderim (*λάμπᾳ δυσποροπαίπαλα δερκομένοισιν*): sic dimetros iambicos (377–381) trimeter (382) excipit, quem pentapodia dactylica, qua furor fastigium ascendit, comitatur, cuius impetus trochaica clausula delenitur:

1) „Krit. Blätter“ pag. 25. — 2) symb. philol. Bonn. pag. 201: „nie lautet bei Aesch. eine iamb. Strophe auf eine Hexapodie oder Tetrapodie ohne alle Synkope aus, und natürlich, weil damit kein beruhigender Abschluss gegeben wäre, vielmehr, wenn eine Tetrapodie den Schluss bildet, ist jedesmal, wie in v. 31 (30) in *ξυμφοραῖς πεπληγμένων* die erste Thesis synkopiert (!), so dass der iamb. Rhythmus in den trochäischen umschlägt.“ — 3) edit. 1860. — 4) Metr. pag. 350. — 5) l. l. pag. 16.

⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ – (377)
⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ –
⏑ – ⏑ ⏗ ⏗ –
qua compositione omnia bene procedunt. ⏓ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –
⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
–́ – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑
– ⏑ – ⏑ – ⏑ –

∾ **390:** ⏑ – *γέρας παλαιόν, οὐδ' ἀτιμίας.* Lacunam Hermannus per *μένει*, Wilamowitzius[1]) per *στυγνάν*, O. Ribbeckius[2]) per *ἀεί* suppleverunt.

Eum. 544: *ἄγοντα πολλὰ παντόφυρτ' ἄνευ δίκης.* ∾ **552:** *δύαις λακαδνὸν οὐδ' ὑπερθέοντ' ἄκραν.* Traditum est: *τὰ πολλά;* verbo *ἄγοντα* strophicum versum incipere Otfr. Muellerus voluit, quod supplementum simplicissimum et credibilissimum videtur, Hermanno autem non arrisit, qui pentapodiam traditam rectam existimat et antistropha *δύαις* ad praecedentem versum annexuit, quo heptapodia facta est, quam repudiandam esse identidem diximus.

Eum. 905: *ἐπισσύτους βίου τύχας ὀνησίμους.* ∾ **926:** *τρέφοι χρόνῳ τεταγμένῳ· γόνος δὲ γῆς* (ultima verba Meinekius addidit). Quodsi Christius[3]) de nostro versu dicit: „im 5. Verse beginnt der erste Takt mit der Anacrusis, um das Hereinströmen des Glückes und das fröhliche Wachsen der Früchte im Rhythmus zu malen," admiror virum de re metrica optime meritum, quod tam feliciter vim rhythmi expressit, quod autem mentionem de anacrusi iniecit, assentiri ei non possum, cum meo iudicio hic versus non trochaicus anacrusi praeditus, immo iambicus sit.

Sept. 98. Sept. 830 ∾ **835.**

Sept. 833: *τί δ' ἄλλο γ' ἢ πόνοι δόμων ἐφέστιοι; πόνων,* quod in *M.* ante *δόμων* legitur, recte sustulit Hermannus. ∾ **838:** *τὰν ἀστιβῆ 'πόλλωνι τὰν ἀνάλιον,* ubi notandum est, primum et tertium pedem spondeos esse. *A* in *Ἀπόλλωνι* Pauwius expunxit, quod per aphaeresin littera facile omitti poterat, cum Ahrensius[4]) aphaeresin talem intolerabilem esse censeret et *Παιῶνι* proponeret.

Sept. 957 ∾ **972. Suppl. 714,** ubi dubitare possis, sintne hi versus inter lyricos iambicos referendi, — sed ita cum dochmiacis numeris cohaerent, ut lyricam quandam speciem praebeant.[5]) ∾ **721.**

Suppl. 743 ∾ **750.**

Suppl. 744 ∾ **751.**

---

1) l. l. pag. 16. — 2) in scholis soc. phil. Lipsiensis. — 3) Metr. pag. 308. — 4) „Kleine Schriften" pag. 81. — 5) cf. Oberdickium (edit. pag. 162): „in den Jamben suchen die Jungfrauen ihre Unruhe zu bezwingen, aber bald bricht in den Dochmien ihre Herzensangst durch."

Suppl. 747: *τὸ πᾶν δ' ἄφαντος ἀμπετὴς ἄϊστος ὥς*, quod per ingeniosam coniecturam Hauptii pro *ἀμπετήσαις δόσεως* una tantum littera mutata lucramur. ∾ **754** *πρὶν ἄνδρ' ἀπευκτὸν τῷδε χριμφθῆναι χροΐ.*

Suppl. 756 ∾ **764. Suppl. 757:** *πρὸς ὃν νεφῶν ὑδρηλὰ γίγνεται χιών*. Traditum: *νέφη δ'; νεφῶν* Engerus. ∾ **765.**

Suppl. 877: *ἐπεὶ οὐκ ἀκούετ' ὀξὺ τῶν ἐμῶν λόγων*. Hunc versum pro strophico habeo, nam versus cum Heathio sane sic transponendi sunt: 872, 876, 877 ∾ 875, 873, 874. ∾ **874.**

B. pedes alii, qui pro iambo positi sunt.

α) Tribrachi.

a) primo pede.

Prom. 116.

b) secundo pede.

Ch. 415: *κάτωθεν ἀνέκαθεν, κτύπῳ δ' ἐπιῤῥόθεῖ. κάτωθεν* Bambergerus, traditum: *ἄνωθεν*. ∾ **436:** *χέουσα πολύδακρυν γόον κεκρυμμένον*.

c) tertio pede.

Ch. 411 ∾ **432. Ch. 413** ∾ **434. Sept. 101.**

d) quarto pede.

Sept. 816: *κακοῦ με καρδίαν τι περιπίτνει κρύος.* ∾ **824:** *βουλαὶ δ' ἄπιστοι Λαΐου διήρκεσαν;* primo et tertio pede spondeus locum occupavit, qui non per Heimsoethium[1]) (*βουλαὶ δ' ἀπίθανοι*) tollendus est.

e) quinto pede.

Eum. 770: *ἐγὼ δ' ἄτιμος ἡ τάλαινα βαρύκοτος*, quae forma rarius occurrit, hoc ipso autem loco non aliena est, cum quattuor syllabis correptis ◡́ ◡ ◡ ◡ ira Eumenidum bene exprimatur.[2])

f) diversis locis.

Prom. 164 ∾ **184.**

Prom. 902: *ἀπόλεμος ὅδε γ' ὁ πόλεμος, ἄπορα πόριμος, οὐδ'*, de quo versu iam pag. 40 diximus. Vide autem, quam praeclare his solutionibus fastidium, quod chorus contra amorem deorum concepit, expressum sit, et quam eleganter chorus hic versus in media stropha collocatus sit, ubi taedium fastigium ascendit, cum sequentibus animi Oceanidum paullatim mitigentur, sic, ut antea ab initio magis magisque sollicitabantur.

Ag. 464: *πιθανὸς ἄγαν ὁ θῆλυς ὅρος ἐπινέμεται*, de cuius versus pravis mensuris iam pag. 21 nonnulla attulimus. Metrum non

---

1) Wiederh. pag. 71. — 2) cf. Christium, Metr. pag. 113.

est violandum, nam optime sub finem cantici severarum sententiarum pleni solutiones a poeta electae sunt, ut mulierum mores depingantur.[1]

Ch. 414 ∾ 435.

β) dactylus.

α) primo pede.

Suppl. 572: – ⏑́ ⏑ *πατὴρ φυτουργὸς αὐτόχειρ ἄναξ.* Primum pedem Heimsoethius[2]) collato versu antistr. **577:** *οὔτινος ἄνωθεν ἥμένου σέβει κάτω* per *αὐτὸς ὁ* explevit. Etiam Bambergeri supplementum dignum est, quod commemoretur: *πατὴρ φυτ. αὐτ. ἄν. γένους | πάλαι παλαιόφρων κτλ.*

γ) spondeus.

α) primo pede.

Ag. 1070 ∾ 1081. Ag. 1092 ∾ 1102. Eum. 144 ∾ 150. Eum. 265.

b) tertio pede.

Ag. 946: *χρόνος δ' ἐπεὶ πρυμνησίων ξυνεμβόλοι;* sic cum Westphalio et Rossbachio versum legam, cui descriptioni etiam Kirchhoffius, Weilius, Dindorfius[3]) faverunt. Nam diiambum: *χρόνος δ' ἐπεὶ* | dimetro iambico auctum: *πρυμν. ξυνεμβ.* ut Engero et Hermanno visum est, accipere non ausim, cum diiambus alio modo usurpetur.[4]) Nec Weckleinius (in Orestia) mihi persuadere potuit, qui versus ita describit: *θάρσος — ἵζει | φρεν. φιλ. θρ. χρ. δ' ἐπ.* | *πρυμν. ξυν.* cum, ubi primum stropham ab initio clara voce perlegimus, cogamur, non in *ἵζει* subsistere, sed trochaicos usque ad *θρόνον* continuare. 939: – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– ⏑ ⊔ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
∾ **956.** ⏑ – ⏑ – ⏒ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Ch. 416: *κροτητὸν ἁμὸν καὶ πανάθλιον κάρα.* ∾ **437:** *τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶν γράφου* ⏑ –. De iambo, qui excidit, et de Reiteri[5]) mira sententia, quam de responsione et *τονῇ* habuit, vide pag. 37.

Eum. 268. Sept. 854 ∾ 860. Suppl. 715 ∾ 722.

1) cf. Keckium, annot. ad. Agam. pag. 290: „die zahlreichen Auflösungen der Arsen dienen zugleich, um die Haltlosigkeit der weibl. Leidenschaft zu malen.“ — 2) Wiederh. pag. 14. — 3) qui legit: *χρόνος δέ τοι πρυμνησίων ξὺν ἐμβολαῖς.* — 4) cf. pag. 7 sqq. — 5) l. l. pag. 157.

c) quinto pede.

Eum. 257. Eum. 769. ∾ **797.**

Suppl. 560: λαβοῦσα δ' ἕρμα Δῖον ἀψευδεῖ λόγῳ ∾ **568:** Διὸς τόδ' ἔργον καὶ τόδ' ἂν γένος λέγων. In tali responsione: ἀψευδεῖ λόγῳ ∾ ἂν γένος λέγων nihil offensionis inest.[1])

d) diversis locis.

Pers. 1027 ∾ **1032. Prom. 119. Ag. 1046** ∾ **1051. Ag. 1073** ∾ **1084. Ag. 1074** ∾ **1085. Ag. 1093** ∾ **1103. Ag. 1114** ∾ **1125. Ag. 1115** ∾ **1126. Ch. 418** ∾ **439. Eum. 147** ∾ **153. Eum. 260. Eum. 263. Eum. 269. Eum. 777** ∾ **805. Suppl. 700** ∾ **707. Suppl. 701** ∾ **708. Suppl. 876** ∾ **873.**

δ) diversi pedes in uno versu.

α) spondeus et tribrachys.

Ch. 40: τοιάνδε χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον κακῶν. Ut antistrophicus versus **50:** σέβας δ' ἄμαχον, ἀδάματον, ἀπόλεμον τὸ πρὶν nos docet, Elmsleius recte fecit, quod pro tradito ἄχαριν metri causa ἀχάριτον substituit. Alii alia suaserunt.[2]) Etsi χάριν ἄχαριν retinere maluerim, cum haec verborum copulatio multo saepius inveniatur[3]); tamen Elmsleii coniectura acquiescamus, quippe qua metrum salvum maneat. Contra Reiterus[4]) ambabus manibus textum traditum complexu tenet: τοιάνδε χάριν ἄχαριν ἀπότροπον κακῶν ∾ σέβας δ' ἄμαχον κτλ. quo versu ictus infeliciter syllabam δέ percutit. quae non efferri debuit.

Eum. 775: λειχὴν ἄφυλλος ἄτεκνος, ὦ δίκα, δίκα; sic Hermannus; traditum: ἰὼ δίκα. ∾ **803.**

Sept. 104: ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ' ἔπιδε πόλιν. Seidlerus dochmios statuit: ἰὼ χρυ. ἔπ. ἴδε πολ., quos Weckleinius-Zomarides in editionem receperunt, Dindorfius iambico-dochmiacum: ὦ χρυσοπήληξ| δαῖμον ἔπιδε πόλιν, qui[5]) miram de hoc versu sententiam protulit: „qualem trimetrum nusquam fecit Aeschylus, quod facile sentiet, qui reliquos carminum melicorum senarios cum hoc comparare volet, in quo plumbeo initio duorum spondeorum, qui in primo tertioque

1) cf. Kruseium in edit. Supplicum pag. 136. — 2) ut Weilius: ἄχαριν ἀναπότροπον, Hartungius: τοιάνδε δὲ χάριν (minus aptum!) — 3) cf. Prom. 542; Ag. 1532. — 4) l. l. pag. 144. — 5) praef. ad Aesch. edit. Teubn. 1873, pag. XL.

pede positi sunt, transitus fit ad volubiles tribrachos duos," cui reprehensioni miror, quod Bernhardi[1]) assentitus est. Omnia enim bene procedere puto, nam primo spondeis severitas precum, quas puellae ad Martem mittunt, depingitur ac religio pia, qua propius, ut ita dicam, ad deos accedunt; — tum subito preces vehementiores atque ardentiores fiunt, quae animorum commotio numeris solutis bene indicatur — „Serva urbem“, haec precum summa haud puris iambis aut gravibus spondeis, sed „volubilibus“, ut Dindorfii ipsius verbis utar, tribrachis exprimi debuit.

Suppl. 104: *τοιαῦτα πάθεα μέλεα θρεομένα δ'ἐγώ*, sic Engerus, *M: λέγω.* ∾ **118:** *θεοῖς δ' ἐναγέα τέλεα πελομένων καλῶς.* Versum utrumque quodammodo sibi similem esse monstravit Christius.[2])

b) tribrachys et dactylus.

Prom. 900: *ἄφοβος οὐ δέδια, μηδὲ κρεισσόνων θεῶν.* Miror, quod nemo editorum, quod quidem viderim, hunc versum ea ratione mensus est, quae sane simplicissima fuit. Satis est, mensuras quasdam attulisse, iam videbis, quam saepe viri docti coacti sint, versus dirimere et rhythmum mutare, id quod sententiae non postulant. Dindorfius *ἄφοβος* cum Butlero expunxit, cum glossema indicaret, sed vereor, ne hoc verbum mensurae suae causa sustulerit, haud aliter atque infra *ἔρως* expulit. Kirchhoffius scribit: *ἀφ. οὐ δέδ. μηδ. κρ. | θεῶν κτλ.* Schoemannus et Weckleinius: *γάμος ἄφοβος | μηδ. κρ. θ. | ἔρως· κτλ.* Hermannus responsionis gratia: *ἀφ. οὐδὲ δέ. μηδ. τού με.* Wilamowitzius[3]): *οὐ δέδια . . . κρεισσόνων,* Weilius[4]) . . *ὁ γάμ. ἄφ. | μηδ. κρ. θεῶν.* Sed versus secundum nostram descriptionem multo expeditius ac facilius currere optimamque compositionem explere ex schemate licet conspicere: habemus dimetrum, tres trimetros, dimetrum iambicum ultimo pede sync., dim. troch., qui nos ad pherecrateum traducit:

⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ 899
⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ └─ ⏓
} prima pars.

⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –
⏑ – ⏑ – ⏑ └─ –
– ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑
} altera pars.

Sept. 831: *διπλαῖ μέριμναι, δίδυμ' ἀγανόρεα κακά*
⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏓

Trimetrum, quem Hermannus restituit, hic desiderari, ex versu antistrophico 836 sequitur: *πίτυλον, ὃς αἰεὶ δι' Ἀχέροντ' ἀμείβεται.* —

1) l. l. pag. 10. — 2) Metr. pag. 644. — 3) l. l. pag. 18. — 4) nova edit.

Sept. 832: *αὐτοφόνα, δίμορα, τέλεα τάδε πάθη. τί φῶ;*
_ ᴗᴗ|ᴗ ᴗᴗ|ᴗ ᴗᴗ|ᴗ ᴗᴗ| ᴗ _ |ᴗ _
M habet: *δίμοιρα τέλεια τὰ πάθη.* corr. Hermannus. Imprimis solutiones dolorem chori indicant, quarum effectum Heimsoethius[1]) plane debilitavit et obtudit. ∾ **887:** *τὰν ναύστολον μελάγκροκον θεωρίδα,* quae verba eidem Hermanno debentur. Ceterum non casu accidit, quod hic tribrachi desunt; immo, ubi de lintre illa nigra atque obscura verba fiunt, minime rhythmis celeribus opus erat, sed severis et gravibus iambis puris.

C. iambi syncopati.

a) syncope in tertio pede ᴗ _ ᴗ ⊔ _ ᴗ _ ᴗ _ ᴗ _

Pers. 977: *βεβᾶσι τἄρ' οἵπερ ἀγρόται στρατοῦ.* Egregie Kirchhoffius pro *βεβᾶσι γάρ, τἄρ'* proposuit[2]), quare supervacaneum fuit, scribere cum Engero[3]): *βεβᾶσί γ' οἵπερ ἀγρ. στρατ.* ∾ **983:** *πεπ-πεπλήγμ. οἷαι δαίμονος τύχαι.* [*λίγμεθ' οἷαι δι' αἰῶνος τύχαι.* Dindorfius, qui pro *δι' αἰῶνος* propter *ἀγρόται* _ ᴗ _ hic *διαίμονος* proposuit, et Schillerus (*δὲ δαίμονος*) vim spondei ᴗ ⊥ _ ⊥, qui in quinto pede nihil habet offensionis[4]), percepisse non videntur. Spondeus enim longitudinem temporis exprimit[5]), quae alias per *τονήν* illustratur.[6])

Pers. 1040. Pers. 1044.

Ag. 229: *πρέπουσά θ' ὡς ἐν γραφαῖς προσεννέπειν* ∾ **239:** *ἐπεὶ γένοιτ' ἂν κλύοις· προχαιρέτω.* Verba *τὸ δὲ προκλύειν,* quae ante *ἐπεὶ* leguntur, Elmsleius recte exstirpavit.

Ag. 394: *ἰὼ ἰώ, δῶμα, δῶμα καὶ πρόμοι,* quem versum Triclinius explevit altero *ἰώ* et *δῶμα* additis. ∾ **410:** *τὰ μὲν κατ' οἴκους ἐφ' ἑστίας ἄχη.*

Ag. 395 ∾ **411. Ag. 460. Ag. 463. Ag. 466.**

Ag. 711 ∾ **722.**

Ag. 1495: *δέδοικα δ' ὄμβρον κτύπον δομοσφαλῆ* ∾ **1522:** *μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διός.* Responsionem: *δέδοικα* ∾ *μῑμνει* merito defendit Engerus.[7])

Ch. 395: *ἴδεσθ' Ἀτρειδῶν τὰ λοίπ' ἀμηχάνως.* Trimeter, qui dochmios sequitur, usui Aeschyleo minime repugnat, ut Weilii versus: *ἴδετε πολυκρ. ἀραὶ | φθινομένων ἴδ. Ἀτρ. | δᾶν τὰ λλ. ἀμ.,* qui etiam apud Schmidtium[8]) leguntur, reiciendi sint. Huc accedit, quod versus noster per diaeresin cum dochmiaco affinitate quadam coniunctus est, itaque perficit, ut vis dochmiacorum, quam modo percepimus, iterum ad aures nostras permanet.

1) scribit enim: *αὐτοσφαγῆ δίμορα τέλεια καὶ τί φῶ;* — 2) similiter res se habet in Ar. Vesp. 217. — 3) „de Aesch. antistr. respons." pag. 8. — 4) cf. pag. 57. — 5) cf. cap. IV. — 6) cf. Ch. 26, Eum. 553, Suppl. 562; cf. Heimsoethium, Wiederh. pag. 297. — 7) „de Aesch. antistr. resp." pag. 13. — 8) Kunstf. I, pag. 218.

⏑ ⏖́ ⏖́ ⏑ – | ⏑ – ⏖́ ⏑ –

⏑ – ⏑ ⊔ – | ⏑ – ⏑ – ⏑ –

quod idem in antistropham cadit: **408:** *πάρεστι σαίνειν,* | *τὰ δ' οὔτι θέλγεται;* displicet, quod Schmidtius[1]) et Bernhardi[2]) protulerunt.

Ch. 443 ∾ **448.** **Ch. 444** ∾ **449** (deest iambus) **Ch. 445** ∾ **450.**

Ch. 614 ∾ **606.** **Ch. 617** ∾ **609.**

Ch. 619: *βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος* ∾ **611:** *ἐπ' ἀνδρὶ δῄοις ἐπικλύτῳ σέβας.* Traditum *ἐπικότῳ* summa iniuria a Reitero[3]) defensum est, iure summo autem ab Heimsoethio[4]) in *ἐγκότῳ* vel ab Hermanno in *ἐπικλύτῳ* correctum.

Ch. 620 ∾ **612.**

Ch. 789: *γέρων φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι* ∾ **801:** *καθ' ἡμέραν δ' οὐδὲν ἐμφανέστερος.* Hic subito ex trochaicis, qui antecedunt, iambicum effulgere versum crediderim[5]); nam puto animos eorum, qui hoc canticum recitant, ipsis verbis *γέρων φόνος* . . .[6]) tantum effervescere, ut trochaei non iam sufficerent, sed novus rhythmus et ascendens quidem, desideraretur, eodem modo ac iambicus rhythmus in antistropha lucem diei depingit.[7])

Eum. 540: *ἑκὼν δ' ἀνάγκας ἄτερ δίκαιος ὤν.* Medicei *ἐκ τῶν* iniuria retinuit Engerus[8]), recte correxit Wieselerus. ∾ **548:** *καλεῖ δ' ἀκούοντας οὐδὲν ἐν μέσᾳ; ἐν* add. Abreschius.

Eum. 543: *τὸν ἀντίτολμον δὲ φαμὶ βαρίβαν;* sic Meinekius[9]) pro *περαιβάταν*, Hermannus *παρβάταν.* ∾ **551:** *τὸν οὔποτ' αὐχοῦντ' ἰδὼν ἀμηχάνοις.*

Sept. 910: *ὁμόσποροι δῆτα καὶ πανώλεθροι* ∾ **922:** *ἔχουσι μοῖραν λαχόντες, ὦ μέλεοι. ὦ* cum recc. addiderim. Reiterus[10]) iterum textum integrum iudicavit, et haec sibi respondere voluit:

⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – Sed illud *ὦ* tam facile omitti potuit,

⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⊔ – ⏑ – quo addito fere nulla mutatione versum magis elegantem lucramur.

Sept. 918 ∾ **930.**

Sept. 983: *ἰὼ ἰώ, δυστόνων κακῶν ἄναξ.* Sic recte Weilius pro trad. *ἰὼ ἰώ, δυστάνων κακ. ἄν.*, quae iam ob id stare non possunt, quod haec species ⏑ – ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – in Aeschyli fabulis non invenitur; necessarium igitur non fuit, cum Schmidtio[11]) et Gevaertio[12]) *τονάς* cumulare: *ἰὼ δυστάνων πημάτων:* ⏑ ⊔ ⊔ ⊔ ⊔ – ⏑ –.

Sept. 986.

---

1) l. l. pag. 218. — 2) l. l. pag. 17. — 3) l. l. pag. 152, ubi rationis metricae causa ipsa ea verba, quae medela maxime egent, tenere studet. — 4) cf. Wiederh. pag. 246. — 5) Weilius ante *γέρων φόνος* verba excidisse putat, quae versum logaoedicum fingerent, cui: *νύκτα πρό τ' ὀμμάτων σκότων φέρει καθ' ἡμέραν* responderet, sed vide supra! — 6) quibus caedis illius mentio fit, quae mox desinat. — 7) similiter Eum. 905. — 8) „de Aesch. antistr. resp." pag. 14. — 9) Philol. XIX, pag. 225. — 10) l. l. pag. 158. — 11) Kunstf. I, pag. 334. — 12) „hist. et théor. d. l. mus. de l'ant." pag. 109.

b) sexto pede sync. (trim. catalect.).

Prom. 566. Prom. 901: *ἔρως ἄφυκτον ὄμμα προσδράκοι με.* *θεῶν* in antecedentem versum transposuimus; cf. pag. 58.

Ag. 356 ∾ **373. Ag. 1449** ∾ **1472.**

Ch. 24: *πρέπει παρῇσι φοινίοις ἀμυγμός. παρῇσι:* Hermannus, *φοινίοις:* Rossbachius, *ἀμυγμός:* Conington. ∾ **33:** *πνέων ἀωρόνυκτον ἄμβοαμα.*[1])

c) diversis locis syncope occurrit his exemplis.

Quinque species animadvertendas censeo.

α) 2. et 3. pede sync. ⏑ ⏗ ⏗ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Prom. 427.

Ch. 76: *κρυφαίοις πένθεσιν παχνουμένη.* Hermannus *τύχαις* ex versu priore in hunc transtulit: ⏑ – ⏑ – ⏑̄ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –, sed *τονή* in diphthongo *αι* duobus versibus repetita de industria adhibita videtur, quo magis verba efferantur:

nam ex utroque verbo chorus maximum:

v. 75: *μαται — οισι..*
v. 76: *κρυφαι — οις —*

luctum percipit.

Ch. 393: *πόποι, δᾶ, νερτέρων τυραννίδες.* Sic Bambergerus pro languido *ποῖ ποῖ δή.* ∾ **406:** *τί δ' ἂν φάντες τύχοιμεν; ἤ τάπερ.*

Sept. 339: *τί ἐκ τῶνδ' εἰκάσαι λόγος πάρα;* ∾ **351:** *παγκλαύτων ἀλγέων ἐπίῤῥοθον,* ubi spondeus primo pede observatione, minime correctione dignus fuit, quam Heimsoethius[2]) instituit.

Sept. 733 ∾ **741. Sept. 749** ∾ **755.**

Sept. 871: *διανταίαν λέγεις δόμοισι καί.* Cum versus proximus 872: *σώμασιν πεπλαγμένους ἐννέπω* non cum versu suo 884: *κτήμαθ' ὥστ' ἴσον λαχεῖν* consonaret, Hermannus scripsit: *διαντ. λέγ. πεπλ.*, Heimsoethius[3]) *διαντ. δομ. σώμασιν τ' | ἐννέπω πεπλ.*, rectius autem Weilius et Weckleinius Dindorfium secuti verbis *πλαγάν* et *ἐννέπω* deletis hunc, quem supra ascripsimus, versum dederunt.[4]) ∾ **883:** *ἐμοιράσαντο δ' ὀξυκάρδιοι.*

Sept. 984: *ἰὼ πάντων πολυστονώτατοι.* Jambis, qui soli hic ius obtinent, Hermannus provisit *πολυπονώτατοι* corrigens.

Suppl. 357 ∾ **368. Suppl. 358** ∾ **369.**

Suppl. 359: *μονοσκήπτροισι δ' ἐν θρόνοις χρέος* ∾ **370** *μένει τοι Ζηνὸς ἱκταίου κότος;* ubi responsio liberior non cum Dindorfio tollenda est (scripsit: *ἱκτίου*).

---

1) de versu ipso cf. Rossbachium in „de Choeph. locis nonn. comment." pag. 10. — 2) Wiederh. pag. 290. *πανοίκτων.* — 3) Wiederh. pag. 276. — 4) rectius dico, iam ob id, quod verbo *πλαγάν* quod ad *διανταίαν* supplendum est, facillime carere possumus; cf. Ch. 623: *ξίφος διανταίαν οὐτᾷ.* Soph. Ant. 1308: *τί μ' οὐκ ἀνταίαν ἔπαισεν τις;*

Suppl. 539 ∾ **547.**

Suppl. 742: *ἰὼ γᾶ βοῦνι, ἔνδικον σέβας.* Hunc versum integrum censeo.[1]) Hiatus *βοῦνι ἔνδικον* iustis de causis potest defendi nam post exclamationes et allocutiones tollendum eum non esse, immo pausam statuendam ex exemplis colligi potest.[2]) Quare non accipiam Dindorfii *πάνδικον*. Longe autem recedam ab opinione Reiteri[3]), qui verba tradita bono animo tenet. ∾ **749:** *ἄφυκτον φυκτὸν δ' οὐκέτ' ἂν πέλοι.* Sic Schwerdtius pro *ἀφ. δ' οὐκ. ἂν πελ. κέαρ;* sitne rectum addubitari potest.

β) 2. 3. 6. pede sync. ⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –

Pers. 130: *τὸν ἀμφίζευκτον ἐξαμείψας.* Versus a Schillero et Dindorfio[4]) cum sequentibus conexus est, qua in re cum eis haud consentio, sed cum Rossbachio[5]) versum trimetrum sync. esse censeam, quo *τοναί* optime ad longitudinem pontis Hellespontici, qui Europam et Asiam secum coniungit, pingendam a poeta electae sunt, nam longitudinem et altitudinem per syllabas productas expressas esse, exempla, quae capite V. attuli, docent.[6]) Mirum igitur est, quod Bernhardi[7]) de mensura huius versus dubitavit, quippe cuius rhythmi tam clare ad aures perveniant, ut iam nullus restare possit scrupulus. ∾ **137:** *τὸν αἰχμήεντα θοῦρον εὐνα-*|

Pers. 998: *Ἰάνων λαὸς οὐ φυγαίχμας.* Ut pag. 36 v. 986 vidimus, Reiterus ibi *Ἰάνων* traditum retinuerat, hoc autem loco *Ἰαόνων* Medicei non cum Passowio[8]) mutavit, sed hic quoque ad traditam lectionem se applicavit. Mea autem sententia *Ἰάνων* hic praeferendum est, propterea, quod *τονή* in vocali *ᾱ* aptissima est ad nomen odiosum efferendum.[9]) Accedit, quod versu antistrophico **1008:** *φίλων ἄταισι ποντίαισιν*|*τονή* eodem versus pede occurrit, et, ut ibi hostium nomen extulerat, hic amicorum magis illustrat:

Ἰάνων λαός . . . ⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ . . .
∾ *φίλων ἄταισιν* ⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ . . .

Quae responsio verborum et *τονῶν* haud omittenda fuit.

Pers. 1029 + 1030: *Ξ. ἄντει δ' ὀξύ. ΧΟ. καὶ τάδ' ἔρξω.* Unum versum cum Hermanno, Weilio, Rossbachio amplectar, qua ratione

---

1) nisi quod *βοῦνι* ex *βουνῖτι* corrigendum erat. — 2) cf. Westph. — Gleditschium „Theorie d. gr. Metr.“ 1886 pag. 127: „auch Deklamationspausen, wie sie besonders nach Interiectionen, Ausrufungen u. dgl. eintreten, rechtfertigen oder entschuldigen den Hiatus, da sie ein Absetzen der Stimme nötig machen.“ — 3) l. l. pag. 148. — 4) Metr. pag. 25. — 5) Metr. pag. 200/201. — 6) cf. Christium, „bayr. Akad.“ 1869 I, pag. 453. — 7) l. l. pag. 21. — 8) qui responsionis causa: *Ἰάνων* (cf. 1008: *φίλων ἄ* —) scripserat. — 9) quaenam forma recta sit, *Ἰάνων* aut *Ἰάων* (sic Wilamowitzius l. l. pag. 22: „unice verum“) diiudicare non ausim.

rhythmus iambicus usque ad finem perducitur. ∾ 1035|36: **Σ.** *διαίνου δ' ὄσσε. ΧΟ. τέγγομαί τοι.*

Ag. 183: *παλιμμήκη χρόνον τιθεῖσαι*, ubi *τοναί* longitudinem temporis bene reddunt. ∾ **196**: *μιαίνων παρθενοσφάγοισιν.*

Ag. 354 ∾ 371. **Ag.** 362 ∾ 379.

Ag. 363: *φλεόντων δωμάτων ὑπέρφευ.* ∾ 380: *πόλει πρόστριμμ' ἄφερτον ἐνθείς. ἐν* add. Triclinius.

Ag. 713 ∾ 724.

Ag. 1498: *πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοῖρα. θηγάναισι:* Pauwius. ∾ 1525: *κεκόλληται γένος πρὸς ἄτᾳ.* sic Blomfieldius pro *προσάψαι.*

Ch. 338 ∾ 354. **Ch.** 611 ∾ 613. **Eum.** 545 ∾ 558.

Sept. 112: *ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν.* Hic rhythmus optime cum sententia congruit: preces, quas chorus ad Jovem mittit, non dochmiaco numero, qui nimis impetus continet, proferenda erant, immo iambicis syncopatis, qui magis severitatem spirant. Idem cadit in versum respondentem: 126: *φύλαξον, κήδεσαί τ' ἐναργῶς.*

Sept. 116: *μινύρονται φόνον χαλινοί.* Sic L. Dindorfius pro *κινύρονται.* ∾ 130: *ἄϋτουσαι πελαζόμεσθα.* Sic recte Seidlerus pro *ἀπύουσαι*, cum *υ* productum esse non possit.

Sept. 119: *προσίστανται πάλῳ λαχόντες.* ∾ 133/34: *σύ τ' ὦ Λατωὶς εὐτυκάζου.* Corruptam Medicei lectionem: *σύ τ' ὦ Λατογένεια κούρα, τόξον πτυκάζου* Weckl. — Zomarides correxerunt coniectura audaci quidem, sed verisimili, nam desideratur trim. iambic. sync., ut in fine aliarum huius cantici partium habuimus: 112 ∾ 126, 116 ∾ 130, qualem etiam hac tertia parte finem facere verisimile est. Westphalius[1]), qui idem de aequali partium exitu cogitavit, scripsit[2]): *σύ τ' ὦ Λατωὶς κόρα, τόξοισιν εὖ τυχάζου*, in stropha autem ante v. 119 versum excidisse putat, qui respondeat illi: *σύ τ' ὦ Λατωίς* ⏑ ⏗ ⏗ ⏗ ⏑̲.

Sept. 272 ∾ 289. **Sept.** 315 ∾ 327.

Sept. 914: *πέπανται δ' ἔχθος, ἐν δὲ γαίᾳ* ∾ 926: *ἰὼ πολλοῖς ἐπανθίσαντες. Μ: ἐπανθήσαντες*, corr. Bothius et Butlerus.

Sept. 916 ∾ 928.

Suppl. 521: *παλαιὸν δ' εἰς ἴχνος μετέσταν.* ∾ 530: *ἰάπτει δ' Ἀσίδος δι' αἴας.* Sic Turnebus pro *βάσιδος.*

Suppl. 555: *δι' αἰῶνος κρέων ἀπαύστου.* Recte editores Hermannum secuti *Ζεὺς αἰῶνος* in *δι' αἰῶνος* mutaverunt et verbum *Ζεύς* in posterum versum, qui ex codicibus plane evanuit, transferendum curaverunt, quae coniectura etiam ob id laude digna est, quod Aeschylus solet, interdum stropham et antistr. eodem verbo incipere.[3]) ∾ 562: *δι' αἰῶνος μακροῦ πάνολβον.*

1) in „natal. secular. Wolfii" Vratisl. 1859, et in „Prolegg. zu d. äsch. Tragöd." pag. 174. — 2) Prolegg. pag. 177. — 3) cf. Christium, Metr. pag. 642. Praeterea facile fieri potuit, ut *Ζεύς* glossema in textum irreperet; cf. Heimsoethium, Wiederh. pag. 256/57.

Suppl. 570 ∾ **575. Suppl. 571** ∾ **576.**

Suppl. 651: *βοάν τ' ἔνδημον ἐξοπλίζων* ∾ **659:** *τὸ πᾶν τ' ἐκδαιμόνων λάχοιεν;* sic Dindorfius pro *λάθοιεν.*

Suppl. 664: *φυλάσσοι τ' ἀτρεμαῖα τιμάς;* sic Butlerus, *M: ἀτιμίας.* ∾ **670:** *θεοὺς δ', οἳ γᾶν ἔχουσιν, ἀεί.*

γ) 2. 6. pede sync. ⏑ ⏗ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏗ ⏓.

De hac specie viri docti dissenserunt, nonnulli etiam plane eam abiecerunt, sed duo sunt exempla, quibus probatur.

Prom. 693: *πέφριχ' εἰσιδοῦσα πρᾶξιν Ἰοῦς,* ubi non mutandum est cum Dindorfio[1]) in *πέφρικα δ' εἰσιδ.*, neque ad iudicium Rossbachii[2]) revertendum, qui haec dicit: „von einer akatalektischen oder katalektischen Hexapodie mit Syncope nach der ersten Arsis fehlt in den iamb. Strophen der Tragiker jedes Beispiel, nur die Tetrapodie, Pentapodie und Tripodie kommen mit dieser Syncope vor.“ Sed ipsa in *τονῇ* iterum ars poetae elucet, nam per productionem, quae primo pede facta est, chori admiratio et stupor multo melius depinguntur, quam si iambi puri usque ad finem decurrerent. Hoc etiam pro syncope loquitur, quod initium versus simile baccheo factum est, qui imprimis admirationem exprimit.[3])

Ch. 623: *διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ* (sic Hermannus pro *σοῦται*).

⏑ ⏗́ ∠ ⏑ ∠ ⏑ – ⏑ ⏗ –

Hic quoque, si legeremus *διανταίαν* ⏑ – ⏑̄ ⏗ etc. pessimus versus exiret, de qua re recte monuit Heimsoethius[4]), nam ictus syllabam *αἱ* ferire debebat, non *ά́ν* (syllabam ultimam).[5]) Eodem modo in antistropha **629:** *προχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανουργός* res se habet, ubi ictus diphthongum *εύ* occupat, non *εί.*[6]) Contra H. Schmidtius[7]) haec signa ascripsit: ⏑: ⏗́ | ⏗́ | ⏗́ ¦ – ⏑ | – ⏑ | ⏗ | – ‖ quibus versum longius producit, quam fieri potest. Denique miror, quod Bernhardi[8]) de hoc versu nihil certi statuere ausus est.

δ) 3. 5. pede sync.: ⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ ⏗ – ⏑ –

Ag. 225 ∾ **235. Ag. 357** ∾ **374.**

Ag. 364: *ὑπὲρ τὸ βέλτιστον· ἔστω δ' ἀπή* — Schmidtius[9]) sic distinxit: *ὑπ. τ. βελτ. ἐσ. δ'* | *ἀπημ. ὥστ.*, quam descriptionem etiam Wilamowitzius[10]) amplexus est, qui pag. 6 dicit: „hic anaclasis una est in metro paenultimo (v. 365), qua efficitur, ut ultimus primo ephymnii pherecrateo simillimus sit, crederes eiusdem numeri esse:

1) Metr. pag. 10. — 2) Metr. pag. 258. — 3) cf. Prom. 115. — 4) Wiederh. pag. 379. — 5) cf. Sept. 871: *διανταίαν λέγεις δομοισι καὶ:* ⏑ ⏗́ ⏗́ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – Eum. 328: *τοῦτο γὰρ λάχος διανταία:* – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏗́ ∠ ⏑. — 6) cf. Weilium „Jahrb.“ 1862, pag. 354. — 7) Kunstf. I, pag. 226. — 8) l. l. pag. 21. — 9) Kunstf. I, pag. 160. — 10) l. l. pag. 7.

οὐ γάρ ἐστιν ἔπαλξις." Ego potius verbis — *μαντον, ὥστ' ἀπαρκεῖν* trochaicum versum contineri puto, secundum quem antistr. versus corrigendus est. Ceterum aures audientium ad rhythmum descendentem, qui inde a 364 locum obtinet, praeparat.[1])

∾ **381:** *λιτᾶν δ' ἀκούει μὲν οὔτις θεῶν.* — **Ag. 388** ∾ **404.**

Ag. 398: *πόθῳ δ' ὑπερποντίας φάσμα δό-(ξει).* Malo cum Weckleinio contra descriptionem vulgo factam[2]) haud secus ac 364 sqq. fecimus, trimetrum iamb. accipere, quem trochaicus sequitur, per quem transitus fit ad logaoedicos, qui stropham claudunt. Si versum cum Schmidtio[3]) a *πόθῳ* usque ad *ἀνάσσειν* uno tenore legimus, membrum deest, quod animos ad alium rhythmum leniter praeparet. ∾ **414:** *δόμων ἑκάστου πρέπει· πολλὰ γοῦν.*

Ag. 420 ∾ **437. Ch. 68.**

Sept. 152: *ἰώ, τέλειοι τέλειαί τε γᾶς.* Hermannus de creticis cogitavit, postquam autem modo iambicum dimetrum sync. legimus: *ἰὼ παναρκ. θ.*, tum versu sequente, ubi idem verbum *ἰώ*, eodem versus pede repetitur, et initium ipsis in *τοναῖς* simillimum est eosdem iambos statuam. ◡ ‒ ◡ ⊔ ‒ ◡ ‒ | *ἰὼ παναρκεῖς θεοί*
◡ ‒ ◡ ⊔ ‒ ◡ ⊔ | ‒ ◡ ‒ *ἰὼ τέλειοι τελ. τ. γᾶς.*

∾ **159:** *λυτήριοι τ' ἀμφιβάντες πόλιν.*

Sept. 270 ∾ **287.**

Suppl. 90/91: *ἀφ' ὑψιπύργων πανώλεις βροτούς*, de qua descriptione cf. pag. 41. ∾ **97/98:** *βρότειον, οἷα νεάζει πυθμήν.*

ε) 3. 6. pede sync. ◡ ‒ ◡ ⊔ ‒ ◡ ‒ ◡ ⊔ ◡̲.

Ag. 179: *πνοαὶ δ' ἀπὸ Στρυμόνος μολοῦσαι.* Hoc in universum de versibus talis speciei monuerim, recte Dindorfium[4]) Boeckhii sententiam refutasse, qui versus inde a 179 ithyphallico finiri censuit, nam hic versus magis comoediam, quam tragoediam severam decet.[5]) ∾ **192. Ag. 180** ∾ **193.**

Ag. 184; hunc quoque versum ex corrupto: *τρίβῳ κατέξαινον ἄνθος Ἀργείων* ∾ *ῥεέθροις πατρῴους χέρας βωμοῦ πέλας* in horum numerum rettulerim. Certe refutanda est opinio eorum, qui de choliambo cogitaverunt, ut Otfr. Muellerus: *ῥείθροις πατρ. χ. πέλας βωμοῦ:* ◡̄ ‒ ◡ ⊔ ‒ ◡ ‒ ◡ ‒ | ‒ ◡̄[6]) vel Schmidtius[7]), nam usus huius versus a tragoedia longe abest.[8]) Qualem versum hic Aeschylus

1) cf. caput III. — 2) *πόθῳ δ' ὑπερποντίας | φάσμα δόξει κτλ.* — 3) Kunstf. I, pag. 162. — 4) de metr. poet. scaen. pag. 40. — 5) cf. etiam de hoc Boeckhii: Godofr. Hermannum in „Zeitschr. f. Altertumswissensch." 1835, pag. 382. — 6) quod recte Hermannus in opusc. VII, pag. 47 repudiavit. — 7) Kunstf. I, pag. 154. — 8) cf. Hermannum in epitom. §. 166: „tragici prorsus abstinuerunt ab hoc metro neque comici usi sunt, nisi forte alludentes ad iambographos, ut Eupolis in *Βάπταις.*"

composuerit, difficile est dictu, cum certa indicia desint — nisi forte verbum *βωμοῦ* exiguam praebet ansam. Observari enim potest, syllabam *ω* huius vocis haud raro produci, cf. Ag. 219: *δίκην χιμαίρας ὑπ. βω — μοῦ*, Suppl. 626, Suppl. 717, ubi propter vocem dissectam producitur.[1]) Quare adducimur, ut finem versus fuisse *πρὸ βω — μοῦ* censeamus, ut Schoemannus coniecit, versum totum igitur: *ῥείθροις* (sic Triclinius) *πατρῴους χέρας πρὸ βωμοῦ.*

Tum conducit, cum Hermanno stropham sic reposuisse: *τρίβῳ κατέξαινον ἄνθος Ἄργους*, ubi id verbum *τονῇ* effertur, quod efferri debuit. — **Ag. 205 ∾ 215.**

Ag. 206: *φρενὸς πνέων δυσσεβῆ τροπαίαν* ∾ **216:** *παρ' οὐδὲν αἰῶ τε παρθένειον.* Sic Otfr. Muellerus pro *αἰῶνα.*

Ag. 208 ∾ 218. Ag. 209 ∾ 219. Ag. 226 ∾ 236. Ag. 231 ∾ 241.

Ag. 233: *φίλον τριτόσπονδον εὔποτμον παι* sequitur: *ἄνα φίλως ἐτίμα.* — Sic Engerus pro *αἰῶνα* scripsit metroque viam patefecit, nam observavimus interdum Aeschylum tali trimetro pherecrateo aucto stropham claudere.[2]) De qua mensura etiam Heimsoethius[3]) cogitavit, qui scribit: . . . *εὔποτμαν αἰ | ῶνα φ. ἐτ.* Quod Bernhardi[4]) dicit, si post *εὔποτμον* et in antistropha post *Ἀπίας* versus terminaretur, numeros evasuros esse non aptos, recte iudicavit; quod autem scripturam Medicei tenet, et creticis locum dat, in errore videtur esse, cum iambici principatum huius strophae teneant. ∾ **243:** *θέλ. τόδ' ἀγχ. Ἀπίας γαί —*

Ag. 393 ∾ 409. Ag. 1405 ∾ 1426. Ag. 1492 ∾ 1519.

Ag. 1494 ∾ 1521. Ag. 1496 ∾ 1523. Ch. 69.

Ch. 71: *ἐσᾶγον αἶσαν, δίκαια καὶ μή.* De aliis descriptionibus cf. pag. 37. — *δίκαια* alterum exstirpavi cum Hermanno.

Ch. 339 ∾ 355. Ch. 397 ∾ 410. Ch. 421 ∾ 442.

Ch. 422 ∾ 427. Ch. 423 ∾ 428. Ch. 426 ∾ 431.

Eum. 542 ∾ 550. Sept. 888 ∾ 899. Sept. 889 ∾ 900.

Sept. 892: *δόμων μάλ' ἀχὰν ἐς οὓς προπέμπει.* Sic Elmsleius versum ex Medicei: *ἀχάεσσα τοὺς | προπ.* restituit, cuius coniecturam Hermannus quidem[5]) iniuria castigavit, Rossbachius[6]) autem et Dindorfius optimo iure acceperunt. Sane iambico versu stropham initium facere collatis ceteris apparet. ∾ **903:** *ἰώ, δυσδαίμων σφιν ἁ τεκοῦσα,* ubi *ἰώ* Dindorfius addidit.

---

1) cf. Eurip. Iph. Aul. 1480: *ἑλίσσετ' ἀμφὶ ναόν, ἀμφὶ βω — μόν.* Iph. Taur. 1116: *βώ — μούς τε μηλοθύτους.* — 2) cf. caput III. — 3) Wiederh. pag. 341. — 4) l. l. pag. 14/15. — 5) opusc. III, pag. 177. — 6) Metr. pag. 280.

Sept. 921 ∾ **933. Suppl. 543** ∾ **551** (cf. pag. 32), **Suppl. 665** ∾ **671.**

Suppl. 666: *προμαθὶς εὐκοινόμητις ἀρχά.* Sic Hermannus pro *προμαθεύς.* ∾ **672:** *δαφνηφόροις βουθύτοισι τιμαῖς.* Reiterus[1]) textum traditum (*δαφνηφόροισι*) tantum adamavit, ut ne hic quidem divortium cum textu fecerit, ubi mutatio fere nulla evasit, cum — *οισιν* et — *οις* in codicibus saepissime confundantur. — **Suppl. 669** ∾ **675.**

D. versus, quibus alii pedes simulque *τονή* occurrunt.

a) spondeus et *τονή.*

α) syncope 3. pede: ⏑̄ ‒ ⏑ ⌴ ‒ ⏑ ‒ ⏑ ‒ ⏑ ⏓.

Sept. 919 ∾ **931.**

β) syncope 6. pede: ⏑̄ ‒ ⏑ ‒ ⏑ ‒ ⏑ ‒ ⏑ ⌴ ⏓.

Prom. 561. Prom. 564.

γ) syncope 3. et 5. pede ⏑̄ ‒ ⏑ ⌴ ‒ ⏑ ⌴ ‒ ⏑ ‒.

Pers. 257: *καὶ δάϊ᾽· αἰαῖ διαίνεσθε, Περ-,* de cuius versus indole iam pag. 27 verba fecimus. ∾ **262:** *αἰὼν ἐφάνθη γεραιοῖς, ἀκού —*

Prom. 687: *οὐπώποτ᾽ οὐπώποτ᾽ ηὔχουν ξένους.* Sic recte Hermannus ex Medicei *οὔποτ᾽ οὔποτ᾽* restituit, nam totus locus magis ex iambicis et dochmiacis compositus est, quam ex rhythmis descendentibus.

δ) syncope 3. 6. pede ⏑̄ ‒ ⏑ ⌴ ‒ ⏑ ‒ ⏑ ⌴ ⏓.

Suppl. 523: *λειμῶνα βούχιλον, ἔνθεν Ἰώ* ∾ **532:** *περᾷ δὲ Τεύθραντος ἄστυ Μυσῶν,* ubi Heimsoethius[2]) responsionis accuratae causa proposuit: *πείρει;* recte autem Engerus[3]) et Kruseius[4])

λειμῶνα | ‒ ‒ ⏑ defendunt.

∾ *πε̆ρᾱ̄* | ⏑ ‒

Suppl. 574: *τέκτων, τὸ πᾶν μῆχαρ οὔριος Ζεύς* ∾ **579:** *σπεῦσαι· τί τῶνδ᾽ οὐ Διὸς φέρει φρήν;* Sic Stenzelius pro *δούλιος,* quam coniecturam Rossbachius[5]) et Oberdickius benigne exceperunt, quae ob id praeferenda videtur, quod Aeschylus nonnumquam stropham per eiusmodi interrogationem claudere solitus est.[6]) Etiam Bambergerus de interrogatione cogitavit[7]): *σπεῦσαι· τί τῶν δούλιος φέρει φρήν;*

b) tribrachys et *τονή.*

α) syncope 6. pede ⏑ ‒ ⏑ ‒ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ‒ ⏑ ⌴ ‒.

Prom. 430: *Ἄτλανθ᾽, ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος γᾶς;* de transpositione verbi *γᾶς* vide ad pag. 44.

1) l. l. pag. 155. — 2) Wiederh. pag. 488. — 3) „de Aesch. antistr. respons." pag. 13. — 4) in editione Supplic. pag. 136. — 5) Metr. pag. 276. — 6) cf. Suppl. 786 Ag. 1449; cf. etiam Ch. 397, Ch. 621. — 7) opusc. acad. pag. 124.

β) syncope 2. et 6. pede: ⏑ ⊔ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⊔ ⏓.

Sept. 955: *ἰώ, Μοῖρα μογερὰ βαρυδότειρα* ∾ **970.** Verba *μογερά* et *βαρυδότειρα* locum commutare iussi, ut trimeter iamb. existeret, nam si verba tradito ordine servamus, versus nimis abrupte ac sine exitu sollemni finitur.

γ) syncope 3. et 6. pede ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⊔ ⏓.

Sept. 988: *ἰὼ ἰώ, πῆμα πατρὶ πάρεννον.* Non necessarium fuit, cum Westphalio tetrametrum explere: *ἰὼ τιμιώτατον σῆμα πατρὶ πάρεννον,* nam traditum metrum traditaque lectio nullam movent offensionem.

δ) syncope 4. et 6. pede ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ ⊔ –.

Ag. 210: *τάλαινα παρακοπά, πρωτοπήμων.* De diversis descriptionibus pag. 34 vidimus. Praeclare tribrachys in *παρακοπά* insaniem, feliciter *τονή* in *πρωτοπήμων* ingenium illius *παρακοπά,* quae primi mali fons fuit, depingunt. Tamen Heimsoethius[1]) in hoc versu haesit et trochaeum post *παρακοπά* desideravit.[2]) ∾ **220:** *πέπλοισι περιπετῆ παντὶ θυμῷ,* quem versum Christius[3]) addita voce *προνωπῆ* trochaicum nominat. ⏑ | – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ | ⊔ – ⏑ | ⊔ – ⏑ | ⊔ –. At contra anacrusin iam saepius nobis dicendum erat.

VII. Tetrameter iambicus.

Praemittendum erit, quod iam pag. 23 monuimus, non semper fieri posse, ut indiciis firmis nixi diiudicemus, sintne duo dimetri an unus tetrameter accipiendi.

A. iambi puri.

Ag. 1448: *ἰὼ ἰή, διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα* ubi eodem iure duos statuere possis dimetros, ut Weckleinius et Hermannus fecerunt. ∾ **1471:** *βιάζεται δ' ὁμοσπόροις ἐπιῤῥοαῖσιν αἱμάτων.*

B. alii pedes.

Tribrachys tertio pede occurrit.

Ag. 735: *ὕβριν τότ' ἢ τόθ', ὅτε τὸ κύριον μόλῃ, φάος τόκου. ὅτε* Klausenius pro *ὅταν, φάος τόκον* Ahrensius pro *φάους κότον.* Diiambum causis, quas infra passim attuli, permotus respuo. Ceterum textus satis corruptus nondum plane restitutus est. ∾ **742:** *τὰ χρυσόπαστα δ' ἔδεθλα* (sic Auratus pro *ἐσθλά*) *σὺν πίνῳ χερῶν παλιντρόποις.*

1) Wiederh. pag. 343. — 2) cf. recensionem libri Heimsoethiani, quam Weilius instituit in „Jahrb." 1862 pag. 353/54, qui autem ipse in editione 1858 pag. 145 versum non constare ex uno ordine hexapodico, sed ex duabus tripodiis censuerat. — 3) Metr. pag. 308.

C. tetrameter syncopatus.

Octo formas extudi — si modo omnes tetrametri sunt, nec potius dimetri iambici vel trochaici.

a) quinto pede sync.

Sept. 723: *πόνοι δόμων νέοι παλαιοῖσι συμμιγεῖς κακοῖς.*[1] ∾ **731:** *χρηστηρίοις θνᾳσκοντα γέννας ἄτερ σώζειν πόλιν.*

Sept. 820: *θανόντας· ἦ δύσορνις ἅδε ξυναυλία δορός* ∾ 828 — *γάσασθ' ἄπιστον· ἦλθε δ' αἰακτὰ πήματ' οὐ λόγῳ.* Cf. pag. 23.

b) 3. et 5. pede sync.

Sept. 817: *ἔτευξα τύμβῳ μέλος Θυιάς, αἱματοσταγεῖς,* de quo versu aliter metiendo cf. pag. 39. ∾ **825:** *μέριμνα δ' ἀμφὶ πτόλιν· θέσφατ' οὐκ ἀμβλύνεται.*

c) 3. et 8. pede sync.

Ch. 73: *βίᾳ φρενῶν αἰνέσαι, πικρὸν στύγος κρατούσῃ.* Sic Ahrensius, cui adstipulatus est Buchholzius[2]) pro *βίᾳ φερομένων ... πικρ. φρενῶν.* Cur *στυγὸς κρατούσῃ* non cum sequentibus coniunxerim, pag. 35 explicavi.

d) 5. et 8. pede sync.

Ag. 181: *βροτῶν ἄλαι, νεῶν τε καὶ πεισμάτων ἀφειδεῖς,* ubi Porsonus Medicei *ναῶν καί* propter responsionem correxit, cum Reiterus hic quoque nimis tenax fuerit et *ναῶν καί* retinuerit. ∾ **194:** *βαρεῖα δ', εἰ τέκνον δαΐξω, δόμων ἄγαλμα.*

e) 2., 5., 8. pede sync.

Ag. 712: *λέγοιμ' ἂν φρόνημα μὲν νηνέμου γαλάνας,* ubi tetrametrum magis aptum duco, quam Seidleri[3]) dochmios diiambo auctos, aut Dindorfii[4]) baccheum + iambos. ∾ **723:** *τέτυκται, μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον.*

f) 2., 3., 5. pede sync.

Ch. 26: *δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ.* ∾ **35:** *γυναικείοισιν ἐν δώμασιν βαρὺς πίτνων.*

g) 3., 5., 8. pede sync.

Pers. 989: *πῶς δ' οὔ; στρατὸν μὲν τοσοῦτον τάλας πέπληγμαι.* ∾ **999:** *ἀγανόρειος· κατεῖδον δὲ πῆμ' ἄελπτον.*

Ag. 389: *κλόνους τε καὶ λογχίμους ναυβάτας θ' ὁπλισμούς.* Sic Ahrensius pro *κλόνους λογχ. τε καὶ* responsionis causa, nam antistropha 405 praebet: *πάρεισι δόξαι φέρουσαι χάριν ματαίαν* Quaenam

1) quem versum eodem iure sic metiri licet: *πόνοι — παλαι | οῖσι — κακοῖς.* — 2) Philol. XXXIII, pag. 226. — 3) l. l. pag. 163. — 4) de metr. poet. scaen. pag. 40.

species rectior sit[1]), difficile est dictu, cum utraque forma Aeschylum usum esse ex exemplis eluceat. Hoc autem ratum ac firmum est, versum nec dochmium esse, ut Seidlero[2]) visum est, nec dimetrum dochmiacum addito baccheo, ut Hermanno[3]) placuit; miram autem descriptionem, quam Christius[4]) protulit, prorsus abiciendam esse nemo non videbit: *λιπ. δ' ἀστ. ἀσπίστ. κλόν.* | ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ –
λογχ. τε καὶ ναυβ. ὁπλ. | – ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
nam heptapodiae alias non inveniuntur.

Sept. 855: *δόμους ἑλόντες πατρῴους μέλεοι σὺν αἰχμᾷ*, ubi *μέλεοι* per synizesin legendum est, ut Westphalius-Gleditschius[5]) et Christius[6]) fecerunt. Tradita verba: *πατρ. δομ. ἑλ.* cum Weilio convertam, cum versus respondens 861 sit: *ἰδόντες ἤδη διήλλαχθε σὺν σιδάρῳ*. Sed ne hic quidem res omnino ad finem ducta est, nam strophae quoque metro tradito favere licet.

h) 3., 5., 7. pede sync.

Ag. 232: *ἔμελψεν. ἁγνᾷ δ' ἀταύρωτος αὐδᾷ πατρός.* ∾ 242: *πέλοιτο δ' οὖν τἀπὶ τούτοισιν εὖπραξις, ὡς.*

Ag. 733: *φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις μὲν παλαιὰ νεά* — ∾ 740: *δίκα δὲ λάμπει μὲν ἐν δυσκάπνοις δώμασιν.*

Eum. 159: *πάρεστι μαστίκτορος δαΐου δαμίου* ∾ 166: *πάρεστι γᾶς ὀμφαλὸν προσδρακεῖν αἱμάτων.*

Sept. 275: *ὑπερδέδοικεν λεχαίων δυσευνήτορας* ∾ 292: *ὅσων ἵησιν Ποσειδᾶν ὁ γαιάοχος.*

Caput II.

Versus, qui falso inter iambicos relati sunt.

Pers. 281: *θεοὶ θέσαν· αἰαῖ στρατοῦ φθαρέντος. θεοί* ab Heimsoethio[7]) pro *ἔθεσαν* suppositum est, qui etiam versum recte logaoedicum censet – ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ ⏑̲, quem certe statuendum esse, ex aliis exemplis elucet, ubi semper dactylus in primo pede rhythmum descendentem indicat; cf. Eurip. Suppl. 1123 sqq., ubi naturam versus bene intellegere possis, nam 1126 ∾ 1134, 1131 ∾ 1138, 1145 ∾ 1152 stropham claudit, quae maximam in partem ex iambicis constat.[8]) In antistropha 287 cum Boeckhio *εὐνίδας ἔκτισσαν ἠδ' ἀνάνδρους* legendum erit.

1) ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – . . . an ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⊔ . . .? — 2) l. l. pag. 39. — 3) elem. pag. 256. — 4) Metr. pag. 361. — 5) „Theorie d. griech. Rhythmik", pag. 330. — 6) Metr. pag. 28. — 7) Wiederh. pag. 376. — 8) cf. Aesch. Suppl. 360: *πᾶν ἐπικραίνεις, ἄγος φυλάσσου.*

570: *βαρὺ δ' ἀμβόασον*, quem versum Dindorfius[1]) penthemimerem iambicam anacrusi praeditam ⏑ | ⏑ – ⏑ – ⏓ censuit. Magis autem hic ionicus rhythmus placet (anaclomenus) ⏑ ⏑ ⊥ ⏑ – –, ut in Vesp. 302, ubi versus medios inter ionicos occurrit: *τρίτον αὐτὸν ἔχειν ἄλφιτα δεῖ καὶ ξύλα κὤψον, σὺ δὲ σῦκα μ' αἰτεῖς:* ⏑ ⏑ ⊔ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⊥ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ ⊥ ⏑ – –.[2])

655: *βαλλὴν ἀρχαῖος βαλλήν* etc. Non ex iambicis hanc stropham, sed ex logaoedicis constare demonstravit Rossbachius.[3])

669: *πάσᾳ γᾷ τᾷδε.* Weilius[4]) et Oberdickius iambos statuerunt, cum in numerorum conspectu haec appingerent signa: – ⊥ – ⊥ etc. Quod quidem in loco corruptissimo videri poterit, rhythmum descendere oportet et multis quidem syncopis praeditum, nam simulatque inde a 666 legere coepimus: *ὦ πολύκλαυτε φίλοισι θανών* – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – magis adducimur, ut rhythmo descendenti aures praebeamus. Weckl.-Zomarides[5]) metrum in dubio relinquunt, cum alii frustra operam sumerent in numeris definiendis.

982: *διαπρέπον, οἷον δέδορκεν ἄτα* ∾ 988: *δυσπόλεμον δὴ γένος τὸ Περσᾶν.* Hic quoque editores et metrici iambis faverunt: *διαπρέπον* ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – etc., cui responderet: *δυσπόλεμον ἤτοι* (sic Schuetzius) aut *ἤδη* (sic Rossb. et Westph.). Versus autem logaoedicus est, ut v. 281 vidimus et Suppl. 360 videbimus, nam ut exempla docent, in compositis, quae ex *δυσ* — aliisque verbis constant, qui dactylo incipiunt, *δῦσ*⏑⏑, semper ictus in syllaba prima versatur.[6]) Tum autem *διαπρέπον* retinendum est, cum tres tantum syllabae percipiantur. — Longe a verisimilitudine Reiteri ratio abhorret, qui talibus versibus responsionem accepit:

⏑ | ⏑́ ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
δι | *απρέπον, οἷον δέδορκεν ἄτα*
| – ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
∾ ? | *δυσπόλεμον δὴ γένος τὸ Περσᾶν·*

Insana etiam Pickelii sententia hic elucet, qui iambicos quidem statuit, neque vero eos, qui more solito et usitato iambici intelleguntur, sed tales: *ζάπρεπον, οἷον δέδορκεν ἄτα* ∾ *δυσπόλεμον δὴ γένος τὸ Περσᾶν.*[7])

(– ⏑ ⏑ ⊔ ⊔ ⏑ – ⏑ – ⊔ — – ⏑ ⏑ ⊔ ⊔ ⏑ – ⏑ – ⊔)

---

1) de metr. scaenic. pag. 41, nr. 14. — 2) cf. Choeph. 312. — 3) Metr. pag. 778. — 4) edit. 1867. — 5) „*ἕνεκα τοῦ τεταραγμένου κειμένου δεν δύναται, να ὁρισθῇ τὸ μέτρον.*“ — 6) cf. Pers. 635: *-ανῆ δύσθροα βάγματα.* Ch. 457: *δυσκατάπαυστον ἄλγος.* Sept. 846: *τὸν δυσκέλαδόνθ'* Ag. 1520: *δύσμαχα δ' ἐστι κρῖναι.* Suppl. 622: *δυσπολέμητον, ὃν οὔτις.* Suppl. 835: *καὶ γὰρ δυσπαλάμως ὄλοιο.* Ch. 456: *δύστον' ἄφερτα κήδη.* — 7) quae nascuntur ex prava Pickelii sententia, de qua cf. pag. 25.

Prometheus.

128: *μηδὲν φοβηθῇς. φιλία γὰρ ἥδε τάξις.* Non est diiambus + glycon. acatalect., ut Rossbachio[1]) et Bernhardio[2]) visum est. Christius[3]) versum inter *ἀκεφαλαίους στίχους* numerat; puto autem, cum ionici sequantur, epitritum praemissa anacrusi magis commendari:

anacr.	epitr.	ionic. anaclom.
–	– ◡ – –	◡ ◡ – ◡ – ◡ – –

qui versus interdum cum ionicis coniunctus obviam fit et ad ionicos sequentes praeparat, cum syllabis ultimis iam similitudo satis perspicua cum ionico rhythmo existat.[4]) Idem cadit in:

401: *στένω σε τᾶς οὐλομένας τύχας, Προμηθεῦ*
◡ | – ◡ – – | ◡◡ – ◡ – ◡ – –
cf. Heimsoethium[5]), qui recte iambicam dipodiam refutavit, et de *ἀναβολῇ* dicit, „welche auch in ihren beiden Schlusssilben schon den charakteristischen Klang der beiden ionischen Arsen enthält.“ Contra Christius[6]) versum inter *ἀκεφαλαίους* rettulit.

Agamemnon.

169/70: Hermannus et Bothius *βιαίως* in *βίαια* mutaverunt, ut versus *βίαια σέλμα σεμνὸν ἡμένων* versui antistrophico responderet: *παλιῤῥόθοις ἐν Αὐλίδος τόποις.* Trochaico rhythmo autem hic maiorem auctoritatem tribuam, nam solent tragici trochaicas strophas fere semper trochaico versu finire.[7]) Cf. 155: *χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.* 948: *ὦρτο ναυβάτας στρατός.* 972: *νῆστιν ὤλεσεν νόσον.* Ch. 578: *αἰγίδων φράσαι κότον.* Eum. 907: *φαιδρὸν ἀλίου σέλας.* Suppl. 1034: *εὐμενεῖ βίᾳ κτίσας.* Finem igitur strophae hunc esse puto: *δαιμόνων δέ που χάρις· βιαίως | σέλμα σεμνὸν ἡμένων;* ut Rossbachius[8]) rectissime versum 169 trochaicam pentapodiam exitu spondiaco iudicavit.[9])

1068: Christius[10]) tripodiam iambicam + dochmium statuit scribens cum Dindorfio: *ἐή, παπαῖ, παπαῖ;* frustra, nam tradita verba iam ipsa dimetrum dochmiacum *ἒ ἔ, παπαῖ, παπαῖ* efficiunt.

1416: *ἔρις ἐρίδματος ἀνδρὸς οἰζύς,* quae verba pentapodiam trochaicam exhibent: ◡́ ◡ ◡ ⏗ – ◡ – ◡ – ◡, non iambicos, ut Hermannus voluit, cum rhythmus descendens primas partes agat.

Choephoroe.

29 sqq: *πρόστερνοι στολμοὶ πέπλων ἀγελάστοις*
ξυμφοραῖς πεπληγμένων.

∾ **38** sqq: *μέμφεσθαι τοὺς γᾶς νέρθεν περιθύμως*
τοῖς κτανοῦσί τ' ἐγκοτεῖν.

1) Metr. pag 692. — 2) l. l. pag. 13. — 3) Metr. pag. 508. — 4) cf. Vesp. 273 sqq. — 5) Wiederh. pag. 359 sqq. — 6) „rhythm. Continuität d. griech. Chorges.“ = Abhandl. d. bayr. Akad. XIV, III, pag. 19. — 7) de qua re Weilius in edit. 1858 recte dicit: „tota stropha e tetrapodiis et hexapodiis trochaicis constat et clausulam habet tetrapodicam.“ — 8) Metr. pag. 200. — 9) nescio quo pacto pag. 201 ab hac sententia deflexerit et ad iambicos transfugerit. — 10) Metr. p. 443.

Hunc versum Wilamowitzius [1]) pentametrum iambicum esse censet, cuius tertium metrum sit anaclonenum.[2]) Legit igitur versus sic:

⏒ ⌴́ –	⏒ ⌴́ –	– ⏑ ⏑ –	⏒ – ⏑́ –	⏑ – ⏑ –
μέμφεσθαι	*τοὺς γᾶς νέρ*	*θεν περιθύ*	*μως τοῖς κτανοῦ*	*σί τ' ἐγκοτεῖν.*
dipod. iamb. 2. pede sync.	dipod. iamb. 2. pede sync.	anaclasis	dipodia iamb.	dipod. iamb.

Similem mensuram etiam Conradtius [3]) in stropha amplexus est:

⏒ ⌴́ ⌴́ ⌴́
πρόσ τερνοι στολμοί etc. Sed recte iam Weilius [4]) perspexit rhythmum descendentem exspectari, in primis in antistropha, ubi haec verba: „gravissime ferre inferos interfectoribusque succensere,“ non iambicis ascendentibus [5]) exprimi poterant. Legas, quaeso, attento animo ac voce summissa versus sic:

μέμφεσθαι τοὺς γᾶς, νέρθεν περιθύμως – ⏒ – ⏒ – ⏑ – ⏑ ⏑ ⌴́ –
τοῖς κτανοῦσί τ' ἐγκοτεῖν – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

iam senties, his gravibus trochaeis, qui per spondeos et per *τονήν* [6]) duplex pondus habere videntur, multo melius hanc stropham claudi, quam iambis ascendentibus. Jam illud, quod versus a syllaba producta et gravi — hoc sententiarum conexu — incipiat ⊥ ⏒ ⊥ ⏒, non, ut Wilamowitzio visum est, a levi: ⏒ ⌴ – ⏒ ⌴ . . . nostram mensuram probabit.

309: Medicei *τύχοιμ' ἂν ἕκαθεν οὐρίσας* cum Hermanno in *ἄγκαθεν* mutaverim, nam malim logaoedico numero priores partes tribuere, cum tota stropha magis e trochaicis vel logaoedicis composita sit, et antistropha (325: *δίπαις τοί σ' ἐπιτύμβιος*) rectum metrum praebeat.[7])

312: Hic quoque, ut Pers. 570 ionico versui locum dederim: *χάριτες θ' ὁμοίως:* ⏑ ⏑ ⌴ ⏑ – –, non iambico anacrusi aucto, quod Dindorfius [8]) voluit.

370: *Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἰάλλων.* Sic cum Emperio pro tradito *ἀμπέμπων* scribam, cum magis pronus sim ad versum logaoedicum, quem antistropha exhibet, statuendum ∾ **384:** *φεῦ, φεῦ, κάρανα δαΐξας* [9]) nam verba *Ζεῦ, Ζεῦ* et *φεῦ, φεῦ* graviora videntur, quam ut iambum ea efficere versimile sit; legendum est *Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἰάλλων*

⌴ – ⏑ – ⏑ ⏑ ⌴ ⏒
φεῦ, φεῦ κάρανα δαΐξας.[10])

---

1) l. l. pag. 15. — 2) id est pro ⏑ – ⏑ – sic: – ⏑ ⏑ –. — 3) „Jahrb.“ 1895 pag. 300. — 4) in edit. 1860. — 5) imprimis uno tenore continuatis et anaclasi illa, quae ad exsultantes magis versus quadrat, praeditis. — 6) quae post dactylum facta est – ⏑ ⏑ ⌴́ –. — 7) Similis versus est 313: *κέκληνται γόος εὐκλεής.* — 8) de metr. poet. scaen. pag. 41. — 9) est logaoedicus, qui constat ex duobus trochaeis, quorum primus syncopatus est, ex dactylo iterumque trochaeo. — 10) falsus autem Hermannus est, qui in *δᾰΐξας* primam syllabam

Plane evitanda est Reiteri[1]) responsio, qui textum tenens haec sibi respondere vult: *Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων·* ⏓ – ⏑ – ⏑ – ⏓ –
φεῦ, φεῦ, κάρανα δαΐξας ⏓ – ⏑ – ⏑ ⏑ ⊔ –

447. Incredibile est, Pickelium[2]) hunc pherecrateum, quo non alius magis indolem pherecratei prae se ferebat, iambicum versum existimavisse. Unde talis sententia nata sit, iam pag. 25 explicavimus. Legit hic: *ξὶν δὲ γενοῦ πρὸς ἐχθρούς*
– ⏑́ ⏑ ⊔ ⏑ – ⊔

810 sqq. Neque hic iambicos praeferam. Tota enim stropha et versus antistrophici docent, de aliis numeris cogitandum esse, nam inde ab initio trochaici versus ita currunt, ut iambici impetum ac cursum rhythmorum sine causa sustinerent.

932: *ἔλασε δ' ἐς τὸ πᾶν | ὁ πυθοχρήστας φυγάς.* Possis vero versum sic metiri: dochmium + dim. iamb. 3. pede sync. Sed Christius[3]) exemplis ex aliis fabulis petitis satis demonstravit, hic solum de dimetro trochaico catalect. ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – et dochmio cogitandum esse.[4])

Eumenides.

143: *ἰοὺ ἰού, πύπαξ.* Verba non pro tripodia iambica habenda sunt, nam sic legendum est: *ἰοὺ ἰού, πύπαξ* ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ –, ubi primum *ἰού* corripitur.[5]) — Idem cadit in

252, qui sic legendus est: *ὅρα ὅρα μάλ' αὖ:* ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ –, cum *α* primum idem corripiatur.[6])

528: Sane hic trochaeos exspectamus, non iambos, quibus Wilamowitzius[7]) fautor exstitit. Iambis enim nihil negotii est —nisi causae graves iubent — in stropha, quae plane ex numeris descendentibus constat. Ceterum antistropha recta metra praebet, quippe quae his versibus finiatur: *καὶ ξενοτίμους | δωμάτων ἐπιστροφὰς | αἰδόμενός τις ἔστω.*

Septem 88: *βοᾷ ὑπὲρ τειχέων.* Hunc versum non inter dochmios praemisso iambo rettulerim, cum monopodiae iambicae solas

---

productam duxit, nam ex loco Homerico (Il. IX, 497) Aeschyli fabulis nihil lucramur. — 1) l. l. pag. 152. — 2) l. l. pag. 156. — 3) Metr. pag. 442. — 4) cf. Eur. Phoen. 1287: *ἔλεος ἔλεος ἔμολε ματ|έρος δειλαίας;* ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – | ⏑ – – ⏓ –. Eur. Orest. 1361: *διὰ δίκας ἔβα θεῶν | νέμεσις ἐς Ἑλέναν:* ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – Rhes. 136: *πυρὰ κατ' ἀντίπρῳρα ναυστάθμων δαίεται:* ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ –. — 5) de qua correptione vocalis productae cf. Westph.-Gleditschium „Theorie d. griech. Metr." pag. 128, adn. et Dindorfium in praef. ad Aesch. edit. 1873, pag. XLII. 6) exemplis ex aliis tragoediis petitis hoc illustraverunt Westph.-Gled. „Theorie d. griech. Metr." pag. 124, cf. Klotzium „Grundz. d. altröm. Metr." pag. 123. — 7) l. l. pag. 17.

interiectiones contineant, de quibus cf. pag. 5 sqq. Tradita specie[1]) versus retinendus est, ut dochmius maneat: *βοᾷ ὑπὲρ τειχέων*.[2])

111. Hic Heimsoethius[3]) animum ad iambicum attendisse videtur, qui pro: *ἀλλ' ὦ Ζεῦ, πάτερ* (dochm.)
παντελές, πάντως (cretic.) (vel trochaei?)
scripsit: *ἀλλ' ὦ Ζεῦ, πάτερ* (doch.)
τέλειε παντελῶς (tripod. iamb.), de qua mensura etiam Westphalius cogitavit, proponens[4]) *ἀλλ' ὦ Ζεῦ, πάτερ | ὦ παντελὲς πάντων κράτος*: ⏒ – ⏑ – ⏒ – ⏑ ⏓.[5]) Aut dochmium cretici sequuntur, quod exemplis confirmatur, aut ex verbis traditis dimeter dochmiacus expiscandus est — certum autem iudicium laturus non sum.

703: Eodem modo ac Prom. 128 et 401 hic in *πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον θεὸν οὐ θεοῖς ὁμοίαν*: ⏑ | – ⏑ – – | ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – – ionici, quos epitritus praemissa anacrusi praecedit, accipiendi sunt, non iambi, vel choriambi, ut Wilamowitzio[6]) placuit.

Supplices.

55. Hermannus et Schwerdtius iambicam mensuram foverunt, itaque versum antistrophicum mutaverunt, ego autem potius Rossbachium[7]), Kruseium, Oberdickium, Bambergerum[8]) secutus logaoedico versui palmam dederim: *ἐγγάϊος οἶκτον ἀΐων* ⌴ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – expuncto illo *οἰκτρόν*, nam ab initio numeri descendentes apparent, qui iambis minime interrumpi debuerunt.

109: *καρβᾶνα δ' αὐδάν*. Dindorfius sic metitur: ⏒ – ⏑ ⌴ – sed rhythmum descendentem (inde a v. 108) qui usque ad finem strophae principatum obtinet, iambico versu interpellari minus conducit; rectius igitur Weilius[9]) logaoedicis annuit.

130. Kruseius et Hermannus *ἀνδρῶν ἔ, ἔ* dipodiam efficere putant, sed verba *εὐνὰς ἀνδρῶν ἔ, ἔ* unum versum ac trochaicum reddere verisimilius est, quae mensura per *τονήν*, quae odiosum illud verbum *εὐνάς* ⌴́ ́– apte distinguit, magis commendatur.

144: *τὸν πολυξενώτατον*, quae verba neque unum versum reddunt, nec seiungenda sunt, ut Hermanno, Weckleinio, Weilio[10]) placuit, qui scripserunt: *τὸν γάϊον | τὸν πολ.* nam Westph.-Gleditschio assentiar, qui[11]) dipodiam medias inter tetrapodias eurhythmiam turbare praedicant, praeterea autem haec dipodia iam per se contra

---

1) Passowius *βοᾷ* expunxit, Lowinskyius: *βίᾳ τειχέων*, Seidlerus (l. l. pag. 85) *ἀλεύσατε βοᾷ | ὑπέρ τειχέων*., Weckl.-Zomarides versum plane deleverunt. — 2) cf. Rossb. Metr. pag. 773; de correpto illo *α* cf. quae modo ad Eum. 252 diximus. — 3) Wiederh. pag. 260. — 4) „Prolegg. zu den äsch. Trag." pag. 174. — 5) an sic: ⏒ – ⏑ ⌴ ⌴ – ⏑ ⏓? — 6) l. l. pag. 26. — 7) Metr. pag. 687. — 8) opusc. pag. 108. — 9) in edit. 1866. — 10) in edit. 1891. — 11) „Theorie d. griech. Metr." pag. 682: „die Dipodie unter Tetrapodieen stört die Eurythmie."

usum Aeschyleum peccat.[1]) Coniungam igitur *τὸν γάϊον* cum antecedentibus, ut Dindorfio[2]) visum est, quam rationem iure Bernhardi[3]) laudat, antistrophicum versum adscribens. — Idem cadit in

149: *ἆ Ζὴν Ἰοῦς, ἰώ;* ⏖ – ◡ – ◡ –.

360: *πᾶν ἐπικραίνεις· ἄγος φυλάσσου.* Habemus similem logaoedicam clausulam, quae nobis iam Pers. 281 et 982 obviam data est, quam recte acceperunt Rossbachius[4]), Krusius[5]) aliique. Tum ictus suum obtinet locum: *πᾶν ἐπικρ.* Eodem modo res in antistropha re habet, ubi in verbo *δυσπαραθέλκτοις* observatio nostra, quam ad Pers. 982[6]) instituimus, eadem nos ad logaoedicum adducit.

763. Trochaico versu trochaicam stropham claudi persuasum habeo: *καρδίας γάμον κυρῆσαι* – ◡ – ◡ – ◡ – ⏑, secundum quem 771 corrigendus est. Quare cum Oberdickio conspirare non possum, qui scribit: *κέαρ γαμ. κυρ.* nec cum Heimsoethio[7]): *καρδίας γαμ. λυτῆρα,* nec cum Christio[8]): *κάρζας γάμον κυρῆσαι.*

Caput III.

Qua arte Aeschylus strophas iambicas composuerit exemplis demonstratur.

Priusquam ad singula transeamus, pauca mihi liceat praefari, quo ratio, quam sequar, eluceat.

Ac primum quidem moneo: non omnes strophas secundum unum schema compositas esse, sed ipsa ex varietate stropharum excellentem poetam cognosci. Universas igitur leges me enumeraturum esse nemo exspectet, quibus compositio stropharum magis turbetur, quam explanetur, quod maxime cadit in H. Schmidtii rationem, qui circulorum causa, quibus in libro „Kunstformen I“ eo consilio usus est, ut eurhythmia eluceret, versuum simplicem descriptionem fastidivit saepissimeque strophas per vim tractavit ac depravavit. Aurea, ut ita dicam, mihi videntur, quae Christius de hac re in Metrica dixit (pag. 621), „wer die schwierige Aufgabe einer kunstgerechten Analyse der Strophen befriedigend lösen will, darf sich nicht von dem Phantom leiten lassen, als ob sich ein Grundschema für die Zergliederung aller Strophen finden lasse,“ et alio loco (pag. 623): „mit allgemeinen Sätzen lässt sich in einer wesentlich empirischen Aufgabe nicht weit kommen.“ In singulis

1) cf. pagg. 7 sqq. — 2) de metr. poet. scaen. pag. 41. — 3) l. l. pag. 20. — 4) Metr. pag. 784. — 5) qui recte vertit: „allein obwaltend führt dein Herrscherwink alles zum Ziel“ . . . — 6) cf. pag. 71. — 7) Wiederh. pag. 356. — 8) Metr. pag. 29.

igitur strophis percensendis ars Aeschylea elucebit. Unum autem addendum est: maxime ad strophae ingenium perspiciendum interest, eas, quae proferuntur sententias respicere, et deliberare, quomodo cum rhythmo conspirent, tum autem gravis momenti erit, transitus observare, quibus poeta animos audientium ex altero rhythmorum genere in alterum traduxerit.

Haec si animo reputaris, senties profecto, qua arte ac subtilitate Aeschylus strophas composuerit. — Sequar autem hunc ordinem: primum strophas, quae ex iambis solis constant, tractabo, tum, quae ex iambis et trochaeis, deinde, quae ex iambis et logaoedicis, deinde quae ex iambis et dactylis, quae ex iambis et dochmiacis, postremo de eis disseram, quibus praeter iambos diversi numeri immixti sunt.

A. iambi soli.

a) clauditur stropha puro trimetro iambico.

Choeph. 60: *δι᾽ αἵματ᾽ ἐκποθένθ᾽ ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ* ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – 1
τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαρρύδαν ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
διαλγὴς ἄτη διαφέρει ⏑ ⌴ ⌴ – – ⏑́ ⏑ ⏑ –
τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσου βρύειν ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – 4

Jam pag. 52, ubi ultimum versum accuratius tractavimus, vidimus Keckii offensionem: „non finiri stropham iambicam trimetro non syncopato“ haud rectam esse. Etsi exempla apud Aeschylum — praeter Sept. 957 — desunt, tamen ex hoc non sequitur, trimetrum non syncopatum expellendum esse, nam sane, si stropha plus versuum complecteretur, trimeter syncopatus optimo iure locum obtinere posset, sed hic, ubi stropha ex quattuor tantum versibus constat, re vera finem nondum exspectamus, praesertim cum sententia non ad finem ducta sit, immo antistropha continuetur.

b) clauditur trimetro syncopato.

Pers. 1025:
Ξε. καὶ στέρν᾽ ἄρασσε καὶ βόα τὸ Μύσιον ⏒ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓ 1
ΧΟ. ἄνι᾽ ἄνια ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏓
Ξε. καί μοι γενείου πέρθε λευκήρη τρίχα ⏒ – ⏑ – ⏒ – ⏑ – ⏒ – ⏑ ×
ΧΟ. ἄπριγδ᾽ ἄπριγδα μάλα γοεδνά. ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⌴ ⏓
Ξε. ἀΰτει δ᾽ ὀξύ. ΧΟ: καὶ τάδ᾽ ἔρξω ⏑ ⌴ ⌴ – ⏑ – ⏑ ⌴ – 5

Observandum est, bene trimetros et pentapodiam per dipodiam (V. 2). interrumpi, quae brevitate, tum solutionibus multum valet ad exclamationem chori amplificandam.

Choeph. 68: *ἐμοὶ δ᾽ ἀνάγκαν γὰρ ἀμφίπτολιν* ⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ ⌴ – ⏑ ⏓ 1
θεοὶ προσήνεγκαν· ἐκ γὰρ οἴκων ⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ – ⏑ ⌴ –
πατρῴων δουλίαν ⏑ ⌴ ⌴ – ⏑ –
ἐσᾶγον αἶσαν, δίκαια καὶ μή ⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ – ⏑ ⌴ –
πρέποντ᾽ ἀπ᾽ ἀρχᾶς βίον ⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ – 5

βίᾳ φρενῶν αἰνέσαι πικρὸν στύγος κρατούσῃ. ∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⊔ –
δακρύω δ' ὑφ' εἱμάτων ∪ ⊔ – ∪ – ∪ –
ματαίοισι δεσπόταν τύχαις ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –
κρυφαίοις πένθεσιν παχνουμένη. ∪ ⊔ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ – 9

Si modo recta est descriptio nostra, quam singulis versibus tractandis, quoad eius fieri potuit, defendimus, hic quoque versuum formas cum eis, quae proferuntur, congruere apertum est. Nam primum duobus trimetris, quibus *τονή*, ut infra monstrabitur, suum ferit verbum, exordium datur ei sententiae, quae primaria ac summa epodici est: puellas captivas esse.

Tum dimetro (V. 3), imprimis verbo *πατρῴων* dolor inflammatur, qui vehementius erumpit tetrametro, quo puellae dolent, quod invitis animis *δίκαια καὶ μὴ δίκαια* explere iubeantur, postea autem tristibus animis, sed minus irritatis se clam sub vestibus lacrimas effundere confitentur, donec sub finem per pentapodiam et trimetrum affectus iterum accrescens indicatur. Sic longitudine vel brevitate colorum motus animorum expressos esse crediderim.

Choeph. 411:

ἔκοψα κομμὸν Ἄριον ἔν τε Κισσίας ∪ – ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ – ∪ – 1
νόμοις ἰηλεμιστρίας ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – .
ἀπριγδόπληκτα πολυπλάνητα δ' ἦν ἰδεῖν ∪ – ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ – ∪ –
ἐπασσυτεροτριβῆ τὰ χερὸς ὀρέγματα ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ ⏓
κάτωθεν, ἀνέκαθεν, κτύπῳ δ' ἐπιρροθεῖ ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – 5
κροτητὸν ἁμὸν καὶ πανάθλιον κάρα ∪ – ∪ – ⏒ – ∪ – ∪ – ∪ –
ἰὼ ἰώ, δαΐα ∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
πάντολμε μῆτερ, δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς ⏒ – ∪ – ⏒ – ∪ – ∪ – ∪ – .
ἄνευ πολιτᾶν ἄνακτ' ∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
ἄνευ δὲ πενθημάτων ∪ – ∪ ⊔ – ∪ – 10
ἔτλης ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι. ∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ ⊔ –

Ne dicamus de vi tribrachorum, quae primis versibus elucet, de hac re monendum puto, dimetrum (V. 7), quo versu non trimeter expletus est, exclamationi aptissimum esse, cum per eum ostendatur, eximium quoddam exprimi, quoniam non trimetri more solito se excipiunt, sed subito membrum aliquid immittitur, quo non idem tempus expletur, ac versibus prioribus factum est. Praeterea facere non possum, ut dimetros illos similes silentio praeteream, quorum uterque similem sententiam continet: V. 9 et 10, quibus horribile illud facinus Clytaemnestrae effertur: quod „virum sine civium exsequiis, immo sine querelis sepeliverit.“ Ultimus versus quasi omnia complectitur: „ausa es, virum s i n e u l l a d e p l o r a t i o n e humare.“ Eodem modo in antistropha similes illos dimetros legimus: 440/41:

τὰ μὲν γὰρ οὕτως ἔχει,
τὰ δ' αὐτὸς ὀργᾷ μαθεῖν.

Choeph. 422:

τὸ πᾶν ἀτίμως ἔλεξας, οἴμοι	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
πατρὸς δ' ἀτίμωσιν ἆρα τίσει	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
ἕκατι μὲν δαιμόνων	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ –
ἕκατι δ' ἁμᾶν χερῶν	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ –
ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν.	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –

ubi tertius et quartus versus eandem speciem prae se ferunt, ultimus idem trimeter 3. et 6. pede syncopat. est. De qua stropha conferas Gevaertium in „histoire et théorie de la mus. de l' ant.“ II, pag. 198.

Choeph. 614:

κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
λόγῳ· γοᾶται δὲ δὴ τόθεν	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ . ⏑ ⏓
κατάπτυστον· ᾔκασεν δέ τις	⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
τὸ δεινὸν ἂν Λημνίοισι πήμασιν.	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
θεοστυγήτῳ δ' ἄγει	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ –
βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
σέβει γὰρ οὔτις τὸ δυσφιλὲς θεοῖς.	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
τί τῶνδ' οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω;	⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –

Quamquam in universum Christii sententiam amplector, qui verissime[1]) dicit: „die Zahl als Zauberschlüssel für die Geheimnisse des Rhythmus zu gebrauchen, überlassen wir den Mystikern,“ tamen hic facere non possum, quin ordinem, qui certe fuit in hac stropha, litteris circumscribam: hoc enim schema exstitit:

a
b
b
a
c
a
a
d

Ceterum hoc Aeschylum sapit, stropham claudi trimetro syncopato, qui intorrogationem continet. cf. Choeph. 397, Agam. 1449, Suppl. 579, quem versum in interrogationem mutandum esse, pg. 67 annotavimus.

Suppl. 570:

τίν' ἂν θεῶν ἐνδικωτέροισιν	⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ ⏓
κεκλοίμαν εὐλόγως ἐπ' ἔργοις;	⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
αὐτὸς ὁ πατὴρ φυτουργὸς αὐτόχειρ ἄναξ	– ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
γένους παλαιόφρων μέγας	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
τέκτων, τὸ πᾶν μῆχαρ οὔριος Ζεύς.	⏑̄ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –

Optime ad interrogationem, quae duobus trimetris syncopatis posita est, trimeter non syncopatus (V. 3) respondet, nam sane ad interrogationes ei versus aptissimi sunt, qui syllabas per *τονήν* productas comprehendunt, cum responsum ipsum per versum reddendum sit, cuius pedes universi pleni sint. Nec sine industria vox

1) Metr. pag. 624.

„*Ζεύς*“ ultima finem strophae occupat, ubi appositiones omnes et epitheta uno verbo comprehenduntur. Bene syllaba per *τονήν* producta *οὔριος*, voculam *Ζεύς* praeparat.

Suppl. 664:

φυλάσσοι τ' ἀτρεμαῖα τιμάς	⏑ ⌞ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⌞ -
τὸ δήμιον, τὸ πτόλιν κρατύνει.	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⌞ –
προμαθὶς εὐκοινόμητις ἀρχά.	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⌞ –
ξένοισί τ' εὐξυμβόλους,	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ –
πρὶν ἐξοπλίζειν Ἄρη,	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ –
δίκας ἄτερ πημάτων διδοῖεν.	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⌞ ⏒

Hic quoque ordo versuum simplex est:

a
b, b — qui bene se ad severas et pias sententias applicat,
c, c — quae proferuntur. Sed tamen, ut poetae ingeniosi est, neque in simplicitate Aeschylum variationem quandam respuisse hoc exemplum docet.
b

c) clauditur stropha dimetro syncopato.

Sept. 888:

σιδαρόπλακτοι μὲν ὧδ' ἔχουσιν	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⌞ ⏒
σιδαρόπλακτοι δὲ τοὺς μένουσιν	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ ⌞ ⏓
τάχ' ἄν τις εἴποι· τίνες;	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ ⏒
τάφων πατρῴων λαχαί.	⏑ – ⏑ ⌞ – ⏑ –

Habemus iterum versus duos pari initio parique exitu, id quod Aeschylus alibi non neglexit. Operae pretium videtur, hac occasione observationem parvulam de hoc exitu instituisse. Fabulis perlectis haec exempla inveni: maxime usus occurrit in *trimetris iambicis diverbiorum:* Prom. 864: *ἀπαμβλυνθήσεται, βουλήσεται,* 971: *ἐγώ, λέγω,* Agam. 31: *χορεύσομαι, θήσομαι,* 489: *ἀνάρσιος, παιώνιος,* 774: *ἐγχωρίους, μεταιτίους,* 1021: *ἀτιμασθήσομαι, θυμώσομαι,* 1223: *ἐμέ, δέ με.* Choeph. 6: *θρεπτήριον, πενθητήριον,* 893: *μαντεύματα, ἐνορκώματα.* Eumen. 482: *ὁρκώματα, βέλτατα,* 568: *ἐφέστιος, καθάρσιος,* Suppl. 485: *χρεών, θεῶν,* 913: *ἐγγεγραμμένα, κατεσφραγισμένα.*

Tum, quod maxime ad nostram stropham accedit, usus invenitur in *iambicis canticorum:* Choeph. 411: *Κισσίας, ἰηλεμιστρίας,* Sept. 853: *δύσφρονες, ἀτρύμονες,* 877: *στένει, μενεῖ,* praeterea in *ionicis:* Pers. 691: *χαρίσασθαι, ἀντία φάσθαι,* in *logaoedicis:* Prom. 889: *διαθρυπτομένων, μεγαλυνομένων.*

B. iambi et trochaei.

a) iambi, trochaeus, iambi, trochaeus, qui stropham claudit.

Sept. 883 (antistropham adscripsi, quod stropha ipsa corrupta est).

ἐμοιράσαντο δ' ὀξυκάρδιοι	∪ ⊔ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –
κτήμαθ', ὥστ' ἴσον λαχεῖν.	– ∪ – ∪ – ∪ –
διαλλακτῆρι δ' οὐκ	∪ ⊔ ⊔ – ∪ –
ἀμεμφεία φίλοις	∪ ⊔ ⊔ – ∪ –
οὐδ' ἐπίχαρις Ἄρης.	– ∪ ∪́ ∪ ∪ – ⏒

Choeph. 622:

τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος	∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ	∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ ⊔ –
διαὶ Δίκας, (τὸ μὴ θέμις)	∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
λὰξ πέδοι πατουμένας	– ∪ – ∪ – ∪ –
τὸ πᾶν Διὸς σέβας παρεκ-	∪ – ∪ – ∪ – ∪ –
βάντες οὐ θεμιστῶς.	– ∪ – ∪ – ⏒

Alter trochaicus optime finem strophae advenisse declarat. Nec non primi trochaici vim intellegere mihi videor: verbis *λὰξ πέδοι πατουμένας* „pedibus humum inculcatae“ thesin incipere necesse fuit ⏊ ∪ – ∪ – ∪ –, id quod melius senties, si ictu acri haec verba pronuntiabis ipseque pede solum pulsabis: iam intelleges, verbo: *λάξ* subito versum incipere debere, neque vero brevem syllabam, ut in iambo fit, praeire.

b) iambi, trochaeus, iambi.

Agam. 454:

πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου	∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
πόλιν διήκει θοά	∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
βάξις· εἰ δ' ἐτήτυμος	– ∪ – ∪ – ∪ ⏓
τίς οἶδεν; εἴ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος.	∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
τὶς ὧδε παιδνὸς ἢ φρενῶν κεκομμένος,	∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
φλογὸς παραγγέλμασιν	∪ – ∪ ⊔ – ∪ ⏓
νέοις πυρωθέντα καρδίαν ἔπειτ'	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –
ἐν ἀλλαγᾷ λόγου καμεῖν;	∪ – ∪ – ∪ – ∪ –
γυναικὸς αἰχμᾷ πρέπει	∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
πρὸ τοῦ φανέντος χάριν ξυναινέσαι.	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –
πιθανὸς ἄγαν ὁ θῆλυς ὅρος ἐπινέμεται	∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ –
ταχύπορος· ἀλλὰ ταχύμορον	∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ ⏓
γυναικογήρυτον ὄλλυται κλέος.	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ ∪́

Jam pag. 21 de recta epodici descriptione verba fecimus, ut nihil hic addendum esse putem, nisi forte de hac re monendum erit, transitum ex iambico numero in trochaicum nostris auribus non percipi posse, qua re errare puto Gevaertium, qui dicit[1] „ce changement ne laisse pas d'être parfois assez sensible même à une oreille moderne,“ et haec ad nostrum locum rettulit. Nos enim, si nostro ritu versus recitamus, bono animo pergimus legere, nil curantes incipiatne versus tertius thesi an arsi.

---

1) Histoire et théorie de la mus. de l'antiqu. II, pag. 72.

C. iambi et logaoedici.

a) iambi, quibus unus logaoedicus immixtus est.

Sept. 717:

ἐπειδὰν αὐτοκτόνως ∪́ – ∪ ⊔ – ∪ – 1
αὐτοδάϊκτοι θάνωσι – ∪ ∪ ⊔ – ∪ – ∪
καὶ γαΐα κόνις πίῃ ∪̄ – ∪ – ∪ – ∪ –
μελαμπαγὲς αἷμα φοίνιον, ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ ⊻
τίς ἂν καθαρμοὺς πόροι, ∪ – ∪ ⊔ – ∪ – 5
τίς ἄν σφε λούσειεν; ὦ ∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
πόνοι δόμων νέοι παλαιοῖσι συμμιγεῖς κακοῖς. ∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –

Postquam V. 1 verbum *αὐτοκτόνως* audivimus, simile verbum sequitur, cuius vis hac re augetur, quod non iambici versus pedem, sed logaoedici explet, (dactylum), quo dactylo animi audientium magis feruntur et rapiuntur, quam iambo nudo, nam insolitum illud atque inopinatum hic multum iuvat. Ceterum, quod iam Choeph. 419/20, 424/25, 440/41, Sept. 888 observavimus, etiam in hanc stropham cadit, qua item duo versus apparent, qui parallelismum quendam prae se ferunt: V. 5 et 6.

b) iambi, quos logaoedici diversis formis induti sequuntur.

Suppl. 773:

ἴυζε δ' ὀμφάν, οὐράνια ∪ – ∪ – ∪̄ – ∪ ∪́ ∪ 1
μέλη λιτανὰ θεοῖσι καί ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ –
τέλεα δέ πως, πελόμενά μοι ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ –
λύσιμα· μάχαν δ' ἔπιδε, πάτερ, ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ ∪́ ∪ ∪ ⊻
βίαια μὴ φιλῇς ὁρῶν ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – 5
ὄμμασιν ἐνδίκοις. – ∪ ∪ – ∪ –
σεβίζον δ' ἱκέτας σέθεν, ∪ ⊔ – ∪ ∪ – ∪ ⊻
γαιάοχε παγκρατὲς Ζεῦ ⊔́ – ∪ ∪ – ∪ ⊔́ ⊔́ 8

Post quinque dimetros iambicos pherecrateus catalect., tum glyconeus (in quo primi trochaei vice iambus fungitur) postremo pentapodia logaoedica (quae constat ex trochaeo syncopato, dactylo, tribus trochaeis, quorum ultimi syncopati sunt) sequuntur, quae numerorum compositio aptissima est ad sententiarum conexum, nam iambos, quorum solutiones timorem et perturbationem et precum ardorem exprimunt, glyconeus excipit, qui magis sacris gravibusque rebus adhibetur; iam ultimo versu concitatio priorum versuum abiit, quod τοναῖς indicatur, et ipso in nomine Jovis appellando tranquillitas animi superior discessit. Etiam hic auditores moventur, si nomen Jovis, ultimam vocem, percipiunt, quae hic eodem modo post appositiones et epitheta occurrit, ac Suppl. 574

```
                        οὔριος Ζεῦ – ∪ ⊔́ ⊻
collato hoc loco                      ↓  ↓  ↓
                      παγκρατὲς Ζεῦ – ∪ ⊔́ ⊔́
```

Pariter in antistropha logaoedici syncopati sub finem multum valent ad severitatem et pietatem interrogationis augendam: *ταλάν-*

⊔́ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⊔ ⊔

του. τί δ' ἄνευ σέθεν | θνατοῖσι τέλειόν ἐστιν; „quid apud homines sine te ad finem quendam venit?", ubi haud secus atque in stropha versus ultimi cum antecedentibus discrepant, quibus animi puellarum perturbatione et desperatione per tribrachos depictis capiuntur.

c) strophae, quae hoc logaoedico clauduntur:

– ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑̄

Pers. 284: (antistropham exscripsi, cum pro rebus minus corrupta sit, quam stropha).

στυγναί γ' Ἀθῆναι δαΐοις	⏑ – ⏑ – ⏑̄ – ⏑ –	1
μεμνῆσθαί τοι πάρα	⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ ⏓	
ὡς πολλὰς Περσίδων μάταν	⏑̄ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ –	
εὔνιδας ἔκτισσαν ἠδ' ἀνάνδρους.	⏗ ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –	4

de ultimo versu iam pag. 70. diximus, ubi logaoedicus iudicatus est, qui stropham ut alias claudit.

Pers. 977:

Ξε: βεβᾶσι τἄρ' οἵπερ ἀγρόται στρατοῦ	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	1
ΧΟ: βεβᾶσιν, οἴ, νώνυμοι	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ –	
Ξε: ἰὴ ἰή, ἰὼ ἰώ	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	
ΧΟ: ἰὼ ἰώ, δαίμονες,	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⏓	
ἔθεσθ' ἄελπτον κακόν	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⏓	5
διαπρέπον, οἷον δέδορκεν ἄτα	⏗ ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –	

Sept. 830:

τάδ' αὐτόδηλα, προὖπτος ἀγγέλου λόγος·	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓	1
διπλαῖ μέριμναι, δίδυμ' ἀγανόρεα κακά	⏑ – ⏑ – – ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏓	
αὐτοφόνα, δίμορα, τέλεα τάδε πάθη· τί φῶ;	– ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ –	
τί δ' ἄλλο γ' ἢ πόνοι δόμων ἐφέστιοι;	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	
ἀλλὰ γόων, ὦ φίλαι, κατ' οὖρον	⏗ ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ ⏓	5

Versus logaoedicus quattuor trimetros iambicos claudit et ostendit, chorum se ipsum admonere, ut caput plangat lacrimasque fundat, nam novi aliquid nunc introduci, iam variatio rhythmi docet, qui ex iambico in logaoedicum transit, quo dactylus ille *ἀλλὰ γόων* ⏗ ⏑ ⏑ ⊔ etc. maiorem vigorem excitat itaque invitationem chori notat.

d) stropha pherecrateo clauditur (id est semper primo, ut exempla demonstrant).

Pers. 1009:

Ξε: δίαινε, δίαινε πῆμα· πρὸς δόμους δ' ἴθι	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓	1
ΧΟ: διαίνομαι γοεδνὸς ὤν	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	
Ξε: βόα νυν ἀντίδουπά μοι	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	
ΧΟ: δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	
Ξε: ἴυζε μέλος ὁμοῦ τιθείς	⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ –	5

ΧΟ: ὀτοτο τοτοῖ	∪ ∪́ ∪ ∪ –	
βαρεῖά γ' ἅδε συμφορά	∪ – ∪ – ∪ – ∪ –	
οἲ μάλα καὶ τόδ' ἀλγῶ.	– ∪ ∪ – ∪ – ∪̄	8

Ex hoc exemplo discimus etiam iambicos haud nimis solutos nec syncopatos dolorem exprimere, qui, etsi non ratione usitata, qua dolor illustrari solet, exstructi sunt, tamen vi non carent propter compositionem totius strophae. Nam velut ictus gravissimi ac vehementissimi hi dimetri, quorum unumquemque aut Xerxes aut chorus brevi temporis spatio ac sine dubitatione recitat, animum concutiunt. Interdum enim versus non per se auditores movent, sed quali temporis spatio recitentur, interest, ut etiam in locis quibusdam veteris comoediae observari potest, ut Equit. 367—371, 443—455; hic celeritas risum movet, ibi misericordiam et lacrimas.

Agam. 225:

βίᾳ χαλινῶν τ' ἀναύδῳ μένει.	∪ – ∪ ⊔ – ∪ ⊔ – ∪ –
κρόκου βαφὰς δ' ἐς πέδον χέουσα	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ ⊔́ ∪̱
ἔβαλλ' ἕκαστον θυτήρων	∪ – ∪ ⊔ – ∪ ⊔́ –
ἀπ' ὄμματος βέλει φιλοίκτῳ	∪ – ∪ – ∪ – ∪ ⊔́ –
πρέπουσά θ' ὡς ἐν γραφαῖς, προσεννέπειν	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –
θέλουσ', ἐπεὶ πολλάκις	∪ – ∪ ⊔ – ∪ ∪̱.
πατρὸς κατ' ἀνδρῶνας εὐτραπέζους	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ ⊔ –
ἔμελψεν. ἁγνᾷ δ' ἀταύρωτος αὐδᾷ πατρός	∪ – ∪ ⊔ – ∪ ⊔ – ∪ ⊔ – ∪ ∪̱
φίλου τριτόσπονδον εὔποτμον παι-	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ ⊔ –
ᾶνα φίλως ἐτίμα.	– ∪ ∪ – ∪ – ∪̄

Qua causa commoti vss. 3, 4, 5 sic descripserimus, pag. 47. accuratius disseruimus, ubi de pentapodiis similibus verba fecimus. Nihil hic addendum censeo, satis erit, iterum monuisse versuum formas et *τονάς* haud felicius a poeta inveniri potuisse, quam re vera factae sunt, imprimis *τονή* sub finem versuum ter repetita: *χεούσα, θυτήρων, φιλοίκτῳ* multum confert ad misericordiam excitandam, ad quam unusquisque adduci debet, qui haec verba aliqua tantum animi attentione perlegit. — Pherecrateus, qui stropham bene claudit, se ipsum defendit, cum praeparetur syllabis productis versus antecedentis *εὔποτμον παι-* – ∪ ⊔́ ⊥, ubi iam rhythmus magis descendens, quam ascendens apparet. Si non semper, at tamen saepius poetam ex hoc rhythmo in illum animos traducere videmus et aures audientium, quae initio rhythmo altero assuetae sint, paullatim rhythmo sequente consuefacere, ne transitus nimis abrupti fiant; quod etiam Christium non fugit, cum dicit[1]): „in allen derartigen Strophen mit rhythmischem Wechsel stossen aber die verschiedenen Elemente nicht rauh und unvermittelt aufeinander, sondern hat der Dichter eine Hauptaufgabe seiner Kunst darin gesucht, den einen

1) Metr. pag. 631.

Rhythmus geschickt durch gefällige Übergänge zu dem andern hinüberzuleiten."

Choeph. 443:

ΟΡ: σέ τοι λέγω, ξυγγενοῦ, πάτερ, φίλοις, ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ΗΛ: ἐγὼ δ' ἐπιφθέγγομαι κεκλαυμένα. ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ΧΟ: στάσις δὲ πάγκοινος ἅδ' ἐπιρροθεῖ, ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ἄκουσον ἐς φάος μολὼν ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ξὺν δὲ γενοῦ πρὸς ἐχθρούς. – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

Pherecrateus, qui post tres trimetros (tertio pede syncopatos) et dimetrum iambicum sequitur, claudit quidem stropham neque vero animus pacatur versu recitando, immo preces, quas chorus ad Agamemnona mittit, vehementiores et ardentiores fiunt: „audias, obsecramus, et ad lucem venias, — a d i u v e s n o s c o n t r a i n i m i c o s!" Eodem modo in antistropha: *εὐχομένοις δ' ἂν ἔλθοι*, pherecrateus prae iambicis, qui anteierunt, vivacior videtur, et rhythmus ac sententia hic quoque optime coniuncta sunt. —[1])

Sept. 749:

τέλειαι γὰρ παλαιφάτων ἀρᾶν ⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
βαρεῖαι καταλλαγαί· ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ –
τὰ δ' ὀλοὰ πενομένους παρέρχεται ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
πρόπρυμνα δ' ἐκβολὰν φέρει ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν ⏓ – ⏑ ⊔ –
ὄλβος ἄγαν παχυνθείς – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

Quod ad Agam. 225 sqq. pag. 84 annotavimus, hac quoque stropha valet: transitum dico, qui eadem ratione, atque ibi, ex iambico numero in pherecrateum factus est: syllabae ultimae productae in tripodia iambica rhythmum pherecratei praeparant:

⏑ ⊔́ ⊥ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
ἀλφηστᾶν | ὄλβος ἄγαν παχυνθείς

⏑ ⊔́ ⊥ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
coll. Ag. 232: *εὔποτμον παι | -ᾶνα φίλως ἐτίμα*

Suppl. 742:

ἰὼ γᾶ βουνῖτι, ἔνδικον σέβας, ⏑ ⊔ – ⏓ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏒
τί πεισόμεσθα; ποῖ φύγωμεν Ἀπίας ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
χθονός, κελαινὸν εἴ τι κεῦθός ἐστί που; ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
μέλας γενοίμαν καπνός ⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⏒
νέφεσσι γειτονῶν Διός, ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏒
τὸ πᾶν δ' ἄφαντος ἀμπετὴς ἄϊστος ὥς ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
κόνις ἄτερθε περύγων δροίμαν. ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

Quod de pherecratei ingenio modo (ad Choeph. 443 sqq.) commemoravimus, in primis hic valet. Nam hic aperte notionem evolandi exprimit, quod per dactylum fit in verbo, quod ipsum „sine

1) Ceterum de *ἐπιρροθεῖ | ἄκουσον* cf. Christium, „rhythm. Continuit. d. griech. Chorges. = Abhandl. d. bayr. Akad. XIV, III, pg. 41.

pennis, tam leviter" significat. Huc accedit, quod numeri iambici, qui per totam stropham primas partes egerunt, hoc ultimo versu initio quidem retinentur, (⏑ – ⏑ –) subito autem logaoedico cedunt, quare rhythmus vigore et alacritate augetur, quod egregie ad verba „sicut pulvis, sine pennis, leviter evolem" quadrat.

e) iambi, pherecr. catalect., clauduntur per pherecr. acatal.

Sept. 910:

ὁμόσποροι δῆτα καὶ πανώλεθροι	⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	1
διαρταμαῖς οὐ φίλαις,	⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ –	
ἔριδι μαινομένᾳ	⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –	
νείκεος ἐν τελευτᾷ	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒	4

Haec stropha incipit a rhythmo, qui his modis lugubribus optimo iure convenit: versu iambico syncopato, ut aliae huius cantici strophae. Sed versu 3 iterum numeri turbulentiores sese immiscent, qui sua parte eleganter electi sunt ad „discordiam furentem" depingendam. Exitus strophae autem necessario per pherecrateum fingendus erat, cum ipso versu de fine certaminis dicatur, pherecrateus autem multum ad notionem „finis" illustrandam valeat.

f) iambi, pherecrateus, iambi: clauduntur per trimetrum iambicum syncopatum.

Agam. 1492:

ἀμηχανῶ φροντίδος στερηθείς	⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ – ⏑ ⏗́ –́	1
εὐπαλάμων μεριμνᾶν	–́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒	
ὅπα τράπωμαι, πίτνοντος οἴκου.	⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ – ⏑ ⏗ –	
δέδοικα δ' ὄμβρου κτύπον δομοσφαλῆ	⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	
τὸν αἱματηρόν. ψακὰς δὲ λήγει.	⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ – ⏑ ⏗ –	5
δίκα δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει βλάβης	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	
πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοῖρα.	⏑ ⏗ ⏗ – ⏑ – ⏑ ⏗ ⏓	

Neque hic pherecrateus (V. 2) sine ulla coniunctione ad antecedentem versum se applicat: *στερηθείς*
⏑ ⏗́ –́
εὐπάλαμων
– ⏑⏑ – etc.

Ceterum ad antistropham annotandum est, feliciter ibi tribus versibus (1521—1523) bina verba, quae paria sunt, aut sibi respondent, ita locum in versu quoque tenere, ut primum iambum, alterum iterum iambum efficiat:

φέρει φέροντ' (1521)
⏑ – ⏑ ⏗́

μίμνει δὲ μίμνοντος (1522)
⏒ – ⏑ ⏗ etc.

παθεῖν τὸν ἔρξαντα (1523)
⏑ – ⏑ ⏗ – ⏑ etc.

g) strophae, quibus iambi pherecratei et glyconei occurrunt.

Pers. 989:

Ξε: πῶς δ' οὔ; στρατὸν μὲν τοσοῦτον τάλας πέπληγμαι	⏒ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
ΧΟ: τί δ' οὐκ; ὄλωλεν μεγάλως τὰ Περσᾶν	⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒
Ξε: ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς;	⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ΧΟ: ὁρῶ, ὁρῶ.	⏑ – ⏑ –
Ξε: τόνδε τ' οἰστοδέγμονα	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
ΧΟ: τί τόδε λέγεις σεσωσμένον;	⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
Ξε: θησαυρὸν βελέεσσιν;	– ⏒ – ⏑ ⏑ – ⏑
ΧΟ: βαιά γ' ὡς ἀπὸ πολλῶν.	– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒
Ξε: ἐσπανίσμεθ' ἀρωγῶν.	– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒
ΧΟ: Ἰάνων λαὸς οὐ φυγαίχμας·	⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –

Laudandum est, quod poeta iambicum numerum cum logaoedico coniunxit, quae species ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ (⏓) ipsum iambicum versum, etsi *τοναῖς* et solutionibus ornatus est, vigore superat. De diiambo *ὁρῶ ὁρῶ* subito interposito, praeterea de dimetro iambico soluto (V. 6), qui sub specie interrogationis optime responsum reddit, postremo de trimetro iambico syncopato (V. 10), qui rhythmum, quem aures nostrae initio acceperunt, renovat ac restituit, et quasi summam omnium calamitatum, nomen illud odiosum Graecorum sub initio positum nobis ad animum revocat, nihil dicendum putavi, cum unusquisque carmine viva voce recitato hanc elegantiam intellegat.

Agam. 205:

ἐπεὶ δ' ἀνάγκας ἔδυ λέπαδνον	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ ⏓
φρενὸς πνέων δυσσεβῆ τροπαίαν	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
ἄναγνον, ἀνίερον, τόθεν	⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγνω.	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
βροτοὺς θρασύνει γὰρ αἰσχρόμητις	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ ⏓
τάλαινα παρακοπά, πρωτοπήμων.	⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⊔ – ⏑ ⊔ –
ἔτλα δ' οὖν θυτὴρ γενέ —	⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ –
σθαι θυγατρός, γυναικοποίν-	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ων πολέμων ἀρωγάν	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒
καὶ προτέλεια ναῶν.	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒

Hoc exemplo observari potest, versum, qui Priapeus nominatur: – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒

aut: – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒

qui alibi lasciviam atque hilaritatem spirare solet neque vero severitati tragoediae convenire videtur, hic tamen locum suum obtinere, cum hoc maxime intersit, quomodo versus recites. Etiam aliis huius fabulae strophis talis usus obviam nobis fit, ut V. 354 sqq. (sub finem) 388 sqq., 420 sqq. neque quisquam offendere debet, cum versus ingenium hilaritatis subito deponant, ubi primum sic recitantur, ut eos decet. Nec Pindarus hanc versuum compositionem neglexit, quippe cuius primum carmen Olympicum sic incipiat:

αριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ | χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
⌴ – ⏑ ⏑ – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒ |
(pro – ⏑)

cf. Pyth. VIII, 17: *οὐδὲ μὰν βασιλεὺς Γιγάντων· δμᾶθεν δὲ κεραυνῷ*
– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – | – ⏒ – ⏑ ⏑ – ⏒ |

ubi certe de laetitia atque hilaritate minime cogitandum est. Cf. de hac re Gevaertium[1]): „néanmoins le mètre priapéen n'était point borné aux compositions d'un ordre inférieur; Eschyle et Pindare luimême l'ont mis souvent en oeuvre dans leurs poésies les plus élevées.“

Suppl. 539:

ἱκνεῖται δ' εἰσιχνουμένου βέλει	⏑ ⌴ ⌴ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
βουκόλου πτερόεντος	– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
Δῖον πάμβοτον ἄλσος,	– ⏒ – ⏑ ⏑ – ⏑
λειμῶνα χιονόβοσκον, ὄντ'	⏒ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ –
ἐπέρχεται Τυφῶ μένος	⏑ – ⏑ – ⏒ – ⏑ ⏓
ὕδωρ τὸ Νείλου νόσοις ἄθικτον	⏑ – ⏑ ⌴ – ⏑ – ⏑ ⌴ ⏓
μαινομένα πόνοις ἀτί-	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
μοις ὀδύναις τε κεντροδα-	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
λήτοις θυίας Ἥρας·	– ⏒ – ⏑ ⏑ – ⏒

Admiratione dignus est ordo, quem poeta in stropha componenda secutus est: trimet. iambic. sync.
pherecrat. alter
pherecrat. alter
dim. iamb.
dim. iamb.
trimet. iambic. sync., cuius ultimae syllabae productae: *νόσοις ἄθικτον* ⏑ – ⏑ ⌴́ ⏓́ rhythmum descendentem praenuntiant, qui re vera sequitur:

glycon. primus
glyconeus primus

finem facit: pherecrateus alter.

Sic iambi et logaoedici in optimum ac lucidissimum ordinem redacti stropham constituunt. — Idem cadit in:

Suppl. 562 (in stropha versus alter excidit).

δι' αἰῶνος μακροῦ πάνολβον·	⏑ ⌴ ⌴ – ⏑ – ⏑ ⌴ ⏓
ἔνθεν πᾶσα βοᾷ χθών·	– ⏒ – ⏑ ⏑ – ⏒
φυσίζοον γένος τόδε	⏒ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
Ζηνός ἐστιν ἀληθῶς.	– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒
τίς γὰρ ἂν κατέπαυσεν Ἥ-	– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –
ρας νόσους ἐπιβούλους;	– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒
Διὸς τόδ' ἔργον· καὶ τόδ' ἂν γένος λέγων	⏑ – ⏑ – ⏒ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ἐξ Ἐπάφου κυρήσαις.	– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒

1) Histoire et théorie de la mus. d. l'antiqu. pag. 175.

Initium antistrophae facit trimeter iambicus syncopatus, (ut alibi: V. 521, 539, 555, 570) cuius ultimae syllabae productae iam pherecrateum praedicunt; neque iambicus rhythmus a logaoedico plane absorbetur, ut dimeter iambicus (V. 3) indicat. Tum autem iterum duo pherecratei sequuntur, quos glyconeus disiungit. Viriliter autem ac firmiter ad interrogationem, quam logaoedici continent, trimeter iambicus respondet, quo nomen Jovis non sine causa initium occupavit. Quantum enim numeri iambici a logaoedicis praecedentibus discrepent, quantumque responsionis certae signa prae se ferunt, nemo non videt.

D. iambi et dactyli.

Sept. 973:

AN: σὺ τοί νιν οἶσθα διαπερῶν	⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –
IΣ: σὺ δ' οὐδὲν ὕστερος μαθών.	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
AN: ἐπεὶ κατῆλθες ἐς πόλιν.	⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
IΣ: δορός γε τῷδ' ἀντηρέτας	⏑ – ⏑ – ⏒ – ⏑ –
AN: ὀλοὰ λέγειν. IΣ: ὀλοὰ δ' ὁρᾶν.	⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –
AN: ἰὼ πόνος. IΣ: ἰὼ κακά.	⏑ – ⏑ ⏓ ⏑ – ⏑ ⏓
AN: δώμασι καὶ χθονί.	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑
IΣ: καὶ τὸ πρόσω γ' ἐμοί.	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑
AN: ἰὼ ἰὼ δυστόνων κακῶν ἄναξ	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
IΣ: ἰὼ πάντων πολυστονώτατοι.	⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
AN. IΣ: ἰὼ δαιμονῶντες ἄτᾳ	⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
AN: ἰὼ ἰὼ ποῦ σφε θήσομεν χθονός;	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
IΣ: ἰὼ ὅπου τιμιώτατον.	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⏓
AN. IΣ: ἰὼ ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον.	⏑ – ⏑ ⊔ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⊔ ⏓

Dolor ac perturbatio, quales in pectoribus puellarum fremant, qualemque viam ingrediantur, a poeta lucidissime monstratum est. Ac primum quattuor dimetri iambici inter Antigonam et Ismenam aequis partibus divisi similiter dolorem indicant, ac Pers. 1009 sqq.; scilicet hac condicione, ut continuo recitentur. Tum motus animi ita creverunt, ut primum solutiones (tribrachi) existant: *ὀλοὰ λέγειν κτλ.* praeterea autem dimetri in duas dividantur partes, quarum (V. 6) altera dipodia sic ab altera seiuncta est, ut primae dipodiae fine syllaba anceps admittatur: *ἰὼ πόνŏς, ἰὼ κακά.* Fastigium dolor ascendit V. 7 et 8, quod dactyli ostendunt, qui ipsi acriorem praebent rhythmum, quam iambi; postremo iambi syncopati, quibus interiectio *ἰώ* saepius iteratur, querelas depingunt. Sed ordinem certum his ultimis versibus enucleare, supervacaneum puto, cum ordo, qui re vera „ordo“ vocandus sit, nisi per vim et per mutationes haud necessarias institui non possit. Nam poeta coactus non erat, hoc ipso fine versus secundum schema certum componere, immo rectius fuit, compositionem firmam dimittere, quo magis

animi afflicti puellarum qui sane constantiam repudiant, elucerent.

E. iambi et dochmii.

Choeph. 393:

ΗΛ: πόποι δᾶ, νερτέρων τυραννίδες	∪ ⊔ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
ἴδετε πολυκρατεῖς ἀραὶ τεθυμένων,	∪ ∪́ ∪ ∪́ ∪ ∪ – | ∪ – ∪́ ∪ ∪ –
ἴδεσθ' Ἀτρειδῶν τὰ λοίπ' ἀμηχάνως	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –
ἔχοντα καὶ δωμάτων	∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
ἄτιμα. πᾷ τις τράποιτ' ἄν, ὦ Ζεῦ;	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ ⊔ –

De similitudine, quae est inter V. 2 et V. 3 iam pag. 59 diximus.

Sept. 914:

πέπαυται δ' ἔχθος, ἐν δὲ γαίᾳ	∪ ⊔ ⊔ – ∪ – ∪ ⊔ –
ζόα φονορύτῳ	∪ – ∪́ ∪ ∪ –
μέμικται· κάρτα δ' εἴσ' ὅμαιμοι.	∪ ⊔ ⊔ – ∪ – ∪ ⊔ –
πικρὸς λυτὴρ νεικέων	∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
ὁ πόντιος ξεῖνος ἐκ πυρὸς συθείς	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –
θηκτὸς σίδαρος· πικρὸς δὲ χρημάτων	⏒ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ –
κακὸς δατητὰς Ἄρης,	∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
ἀρὰν πατρῴαν τιθεὶς ἀλαθῆ.	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪́ ⊔ –

Subito inter iambicos dochmius apparet, quod dolori chori attribuas. Schema hoc componere licet:

trim. iamb. 2. 3. 6. pede sync.
dochm.
trim. iamb. 2. 3. 6. pede sync.
dim. iamb. 3. pede sync.
trim. iamb. 3. pede sync.
trim. iamb. 3. „ „
dim. iamb. 3. „ „
trim. iamb. 3. 6. pede sync.

F. Strophae, quae ex iambis et diversis versibus constant.

a) iambi, logaoedici: clauduntur per trochaicum.

Pers. 1037:

Ξε: βόα νυν ἀντίδουπά μοι	∪ – ∪ – ∪ – ∪ –
ΧΟ: οἰοῖ οἰοῖ	⏒ – ⏒ –
Ξε: αἰακτὸς ἐς δόμους κίε.	⏒ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
ΧΟ: ἰὼ ἰώ, Περσὶς αἶα δύσβατος	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
Ξε: ἰωὰ δὴ κατ' ἄστυ	∪ – ∪ – ∪ ⊔ ⏓
ΧΟ: ἰωὰ δῆτ' ἂν αἶαν	∪ – ∪ – ∪ ⊔ ⏓
Ξε: γοᾶσθ' ἁβροβάται.	∪ ⊔ | – ∪ ∪ –
ΧΟ: ἰὼ ἰώ, Περσὶς αἶα δύσβατος	∪ – ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
Ξε: ἰὴ ἰὴ τρισκάλμοισιν.	∪ – ∪ ⊔ – ⏒ ⊔ ⏓
ἰὴ ἰή, βάρισιν ὀλόμενοι	∪ – ∪ ⊔ | – ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ –
ΧΟ: πέμψω τοί σε δυσθρόοις γόοις.	– ⏒ – ∪ – ∪ – ∪ –

Ordinem severum deesse neque per vim inducendum esse, iam pag. 12 monuimus. Dimeter iambicus incipit, tum chorus cum fletu diiambo respondet; sequitur dimeter, tum trimeter syncopatus, duo dimetri syncopati, pherecrateus catalecticus (primus pes iambus pro trochaeo), tum repetitur trimeter syncopatus, sequitur pentapodia syncopata, deinde pherecrateus catal., quem basis diiambica praecedit; finem totius fabulae pentapodia trochaica catalectica facit.

b) strophae, quibus iambi et unus trochaicus occurrunt:
clauduntur logaoedico.

Sept. 876 (antistropha est, quae corruptelis non laborat).

διήκει δὲ καὶ πόλιν στόνος ∪ ⊔ – ∪ – ∪ – ∪ ⏓
στένουσι πύργοι, στένει ∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
πέδον φίλανδρον. μενεῖ ∪ – ∪ ⊔ – ∪ –
κτέανά τ' ἐπιγόνοις, ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ –
δι' ὧν αἰνομόροις ∪ ⊔ – ∪ ∪ –
δι' ὧν νεῖκος ἔβα, ∪ ⊔ – ∪ ∪ –
καὶ θανάτου τέλος. – ∪ ∪ – ∪ ⏓

Trimetrum iambicum syncopatum et duos dimetros syncop. tripodia trochaica catal. excipit, quam duo pherecratei catalectici sequuntur, quorum primo pede iambus trochaei vice fungitur; finem facit pherecrat. primus catalecticus. Hic quoque, ut alias, post iambos qui per se minus sollicitati sunt, rhythmi magis concitati assurgunt, qui indoli verborum bene conveniunt. — Optime etiam illud *δι' ὧν* iteratum est, ut in stropha *αἰαῖ*, de qua repetitione conferas Jacobum „de aequal. stroph. et antistr. in trag. Graec. cantic. conform.“ pag. 49 et Rossbachium „de Eumen. antichoriis“ pag. 4.

c) iambi, logaoedici, trochaici: clauduntur per logaoedicum.

Suppl. 104:

τοιαῦτα πάθεα μέλεα θρεομένα δ' ἐγώ ⏒ – ∪ ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ –
λιγέα βαρέα δακρυοπετῆ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ –
ἰὴ ἰή ∪ – ∪ –
ἰηλέμοισιν ἐμπρεπῆ ∪ – ∪ – ∪ – ∪ –
ζῶσα γόοις με τιμῶ. – ∪ ∪ – ∪ – ⏒
ἱλέομαι μὲν Ἀπίαν βοῦνιν, – ∪ ∪ – ∪ – ∪ ⊔ – ∪
καρβᾶνα δ' αὐδάν ⊔ – ∪ ⊔ ⊔
εὖ, γᾶ, κοννεῖς. ⊔́ ⊔́ ⊔́ ⊔́
πολλάκι δ' ἐμπίτνω ξὺν λακίδι – ∪ ∪ – ∪ ⊔ – ∪ ∪ ⏓
λίνοισιν ἢ Σιδονίᾳ καλύπτρᾳ ∪ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ – ⏒

Delectat, formas persequi, quibus rhythmus induitur: primum habemus iambicos solutos, quorum cola deminuuntur, dipodia iambica autem iam quasi praeludium ad sequentem dimetrum aures praeparat. Tum logaoedicus color apparet, qui pherecrateo primo

(V. 5) elucet, postea autem planius exprimitur in pentapodia (V. 6) (quae constat ex dactylo et quattuor trochaeis, quorum tertius syncopatus est); exinde rhythmus trochaicus se offert, qui per *τονάς* gravi pondere nos premit, imprimis V. 8, quo solas productas syllabas habemus, sed mox rhythmus alacrior et vivacior fit, ut logaoedicus (V. 9) indicat. Sub finem autem numeri iambici, qui inde a V. 4 plane defecerant, iterum prosiliunt, specie dipodiae, quae pherecrateo praemittitur.

d) iambi, trochaicus, logaoedici: clauduntur per trochaicum.

Choeph. 22:

ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
χοὰς προπομπὸς ὀξύχειρι σὺν κόπῳ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
πρέπει παρῇσι φοινίοις ἀμυγμός ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⌞ ⏓
ὄνυχος ἄλοκι νεοτόμῳ. ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –
δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ. ⏑ ⌞ ⌞ – ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
λινοφθόροι δ' ὑφασμάτων ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
λακίδες ἔφλαδον ὑπ' ἄλγεσιν ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
πρόστερνοι στολμοὶ πέπλων ἀγελάστοις – ⏒ – ⏒ – ⏑ – ⏑ ⏑ ⌞ ⌞
ξυμφοραῖς πεπληγμένων. – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Severitatem ac gravitatem initium strophae spirat, ut ex iambis puris videmus, qui solam per syncopen (fine versus tertii) variationem parvam admittunt. Tum rhythmus magis fluctuare incipit dimetro trochaico soluto et tetrametro iambico syncopato, donec versus sequentes: dimeter purus et solutus, a logaoedico excipiantur, qui ipse optime per dimetrum trochaicum clauditur. Res hic contraria est ac Suppl. 562, Ag. 1492 sqq. Agam. 233, nam hic logaoedicus ultimis syllabis productis aures ad trochaeos praeparat: *ἀγελάστοις | ξυμφοραῖς κτλ.*
⏑ ⏑ –́ –́ – ⏑ –

e) iambi, trochaei, logaoedicus: clauduntur dimetro iambico.

Suppl. 122:

πλάτα μὲν οὖν λινορραφής ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
τε δόμος ἅλα στέγων δορός ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
ἀχείματόν μ' ἔπεμπε σὺν ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
πνοαῖς· οὐδὲ μέμφομαι· ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ –
τελευτὰς δ' ἂν ἐν χρόνῳ ⏑ ⌞ – ⏑ – ⏑ –
παντάρχας, παντόπτας ⏒ ⌞ – ⏒ ⌞ –
πρευμενεῖς κτίσειεν, – ⏑ – ⏑ – ⏑
σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρός – ⏑ ⌞ – ⏑ ⏑ – ⏑
εὐνὰς ἀνδρῶν, ἓ ἕ, ⌞ – ⏒ – ⏑ ⏓
ἄγαμον ἀδάματον ἐκφυγεῖν. ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ –

Dimetri iambici, qui uno tenore currunt (1—3) optime cursum maritimum depingunt, et navigationem, quae nullo impedimento

interrumpitur, sed aequabiliter procedit. (*ἀχείματον*) Sed iam *τοναί* (V. 4—6) existunt, iam syllabae productae in *παντάρχας, παντόπτας* rhythmum descendentem imminere praemonent, qui re vera in tripodia trochaica (V. 7) apparet. Tum logaoedicus succedit, (qui constat ex duobus trochaeis [quorum alter syncopatus est], dactylo, trochaeo,) quem trochaicus dimeter (primo pede sync.) catalect. subit, cuius ultimae syllabae correptae aures ad dimetrum iambicum solutum praeparant, quo versu numeri, qui ab initio (usque ad V. 6) in stropha praevaluerunt, resurgunt et discrepantiam bene declarant, quae est inter logaoedicos et trochaeos, versus molles blandosque, et inter iambicos in tribrachos solutos, quibus verba choro tam gravia: *ἄγαμον* et *ἀδάματον,* quasi fulmen emicant.

f) iambi, dactyli: clauduntur per logaoedicum.

Sept. 761:

ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων	∪ ⊔ – ∪ –
ἐγένετο μέλεος ἀθλίων	∪ ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ – ∪ ‿
γάμων, ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν	∪ – ∪ – ∪̄ – ∪ ‿
μαινομένᾳ κραδίᾳ	– ∪ ∪ – ∪ ∪ –
δίδυμα κάκ' ἐτέλεσεν·	∪ ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∪̲
πατροφόνῳ χερὶ τῶν	‿ ∪ ∪ – ∪ ∪ –
κρεισσοτέκνων ὀμμάτων ἐπλάγχθη.	– ∪ ∪ ⊔ – ∪ – ∪ ‿ ∪̄

De vi atque indole tripodiae iambicae syncopatae, quam subito dimeter solutus sequitur, iam pag. 17 sententiam nostram aperuimus. Iterum tripodia dactylica (V. 4) et tripodia iambica soluta (V. 5) horror bene ad animum revocatur, qui Oedipum nuptiis iniquis detectis oppressit. In clausula logaoedica magis magisque furor recedit, qui dactylo quidem: – ∪ ∪ maxime ardet, trochaeis autem
κρεισσοτεκ-
